DE

ANTHOLOGIAE GRAECAE

EPIGRAMMATIS

QVAE AD ARTES SPECTANT

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM

ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE IX MENSIS AVGVSTI ANNI CIƆIƆCCCLXII

RITE IMPETRANDORVM CAVSSA

SCRIPSIT

OTTO BENNDORFIVS

GREIZENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

CHRISTIANVS HEIMREICHIVS
HENRICVS HIRZELIVS
CAROLVS DILTHEYVS

BONNAE CIƆIƆCCCLXII

IMPRESSVM LIPSIAE TYPIS TEVBNERIANIS

DON

THEOPHILO · WELCKERO

FRIDERICO · RITSCHELIO

OTTONI · IAHNIO

In tantis studiis, quae hodie de antiqua arte instituuntur, est quod mirere neminemdum extitisse, qui uellet anthologiae graecae quae ad artes spectant epigrammata — inaequalem illam quidem, fatemur, strigosioremque interdum materiam, nihilominus tamen utilissimam — non raptim lustrare, at digno examine pertractare. Etenim post Heynium, qui de epigrammatis illis haud inutiliter, uerum obiter disseruit diss. soc. Gotting. tom. X, p. 80—120, fuere quidem, qui ea interpretarentur emendarentque uel in diuersos hic illic usus uocarent: nemo, qui integram quaestionem dedita opera susciperet susceptamque persolueret. Atque ut fit, ubi re aliqua utimur non omnifariam percognita eius natura, in anthologiae copiis illis utendis saepius a uiris doctis, peius aliquando quam decebat, erratum est. Mittamus tales errores, quales commiserunt uiri docti in explicando Tulli Gemini epigrammate Plan. 30 (uide infra p. 60), qualem commisit Silligius, qui in catalogi artificum p. 402 Pythagorae Rhegino Bacchi statuam imputare uoluit propter Procli epigrammatis — insuper de pictura accipiendi — uerba haece (app. 69):

> *Ῥηγίνου μελάθροισι τὸν εὐαστὴν Διόνυσον*
> *δέρκεο κ. τ. λ.*

Grauius est, quod nonnulli uidentur et recentioris et uetustioris aetatis epigrammatis eandem fidem habere. Secus alii aut immerito eorum auctoritatem detrectauerunt, aut nimii ponderis ea apud se esse intempestiue passi sunt: alii ludorum illorum imprudentes turbauerunt, quae in interprete nil nisi simplicem a scrupulis uacuitatem requirunt. Quae cum

ita sint, non oleum operamque nos perdituros esse sperauimus, si de industria quantumque liceret plene de hac materia disputaremus.

In qua disputatione duo intellegimus epigrammatum genera nobis esse probe discernenda: unum eorum, quae ad monumenta pertinebant ut inscriptiones, alterum eorum, quae ad monumenta spectant ut lusus poetici. Illa nihil aliud uolebant nisi ut opera, quibus infixa erant, indicarent, quae essent, a quibus dedicata perfectaque; cotidianae uitae usui cum servirent, eius legibus adstricta separatam quandam auctoritatem nunquam aspirabant. Haec funditus alia, audaciora quidem et soluta: aut describunt artis opera, aut sales de eis promunt, non aperiunt noscenda, sed nota illustrant. Igitur huiusmodi potissimum epigrammatis — quae liceat nobis in hac scriptione simpliciter demonstratiua (ἐπιδεικτικά) nuncupare — studium aduertemus: segregatis quantum fieri potest ueris quae sunt in anthologia inscriptionibus epigrammatis demonstrativi primum originem historiamque investigabimus, deinde qui debeat usus esse in historia artis summatim exponemus.

I.

Antea autem, quam ad ipsam quaestionem incohandam succingamur, quaenam in ea impedimento sint, quaenam adiumento, uno uerbo nos commoneamus. Verum est, incerta nonnumquam sparsa lux in hac silua, non mediocres adeo tenebrae. Namque multorum auctores prorsus ignorantur, nonnulla quorum sint fluctuatur, haud ita paucis falsa aperte nomina praescripta sunt. Deinde quorundam poetarum aetates propter reliquiarum exiguitatem uel quia aliunde nihil suppeditatur, strictius definiri nequeunt. Nec tamen has obscuritates cum Haehnelio (de epigr. graeci historia spec. I, p. 5) lamentabimur praepostere exaggeratas; sunt enim reapse multa minus caeca quam uidentur neque nos ita auxiliis fraudauit fortuna, ut lucem promouere aegre licitum sit. Nam Meleager Gadarenus, qui sub finem secundi a. Ch. n. saeculi epigrammatis *κατὰ στοιχεῖον*[1]) compositis anthologiam condidit, in primo carmine (IV, 1) nomina XLVII poetarum, quorum flores collegerit, recensuit, ceteros utpote *ἔρνεα νεόγραφα* tacuit. Post eum

1) Talis ordo quantum moris fuerit, indicio sunt Aeschyli fabularum tituli, item Euripidis, Plauti, Naeui, Ciceronis adeo orationes quales olim extitere, Theognidis uersus a sciolo similiter consarcinati etc.; uide F. Ritschel. parerg. p. 391, Th. Welck. praef. in Theogn. p. CV, O. Jahn. mus. Rhen. tom. 3, p. 140, O. Schneider. de Callimachi tabula etc. p. 4. Nescimus an nondum animaduersum sit a Maximo Planude epigrammata hic illic secundum argumentorum initia composita esse, uelut in capite duodecimo libri quarti.

exeunte primo p. Ch. n. saeculo Philippus Thessalonicensis, ut alibi ita in ordine κατὰ στοιχεῖον obseruando Meleagri imitator, coronam confecit poetarum, qui post Meleagrum epigrammata factitarant, eorumque XIII in exordio coronae suae (IV, 2) nominauit, reliquos nominatim exhibere supersedit. Iam ex his coronis ut ex aliis cum ea conflata sit, quam nos possidemus, anthologia Constantini Cephalae, qui decimo p. Ch. n. saeculo uixit: in hac et poetarum nomina a Meleagro atque Philippo in coronarum prooemiis aut memorata aut omissa et ordinis alphabetici ab eisdem instituti quae haud rara sunt uestigia tamquam ansas praebent, quibus utentes tum partes multas neque eas exiguas aut ad Meleagrum aut ad Philippum reuocare, tum multorum alioquin ignotorum poetarum tempora indagare possimus. Hoc Passowius primus docuit opusc. acad. p. 176—197 (cf. eiusdem „Vermischte Schriften" p. 196), Weigandius mus. Rhen. tom. 3 p. 161—178, p. 541—572 diligentissime persecutus est. Accedit aliud adiumentum, quod quo fructu adhiberi queat, uidetur adhuc latere. Nam cum inde a Meleagro potissimum qui fuere poetae, tractata retractare atque plus, quam hodie poëtis licet, superiorum inuenta recoquere solerent, est interdum, ubi componendis epigrammatis eiusdem argumenti quasi historiam sub oculos ponas. Sed in his quam circumspecte iudicandum sit, cum non ignoraremus, dum totius rei uis et praestantia altiore indagine digna accurate circumscripta foret, consulto parci fuimus.

Iam nunc temporum quoad cognosci possunt respectu habito perlustrabimus omnes usque ad Philippi Thessalonicensis aetatem poetas, quorum poematia extant, quae ad artes aut pertinebant aut spectant. Atque ut perspiciatur uno obtutu, quae alioquin per totam disputationem inuoluta iaceret, huius partis summa statim anticipata proponatur.

Ante Alexandri igitur tempora epigrammata demonstratiua nulla fuere. Quantum quidem ex eis quae diem tulerunt intellegitur Nossis Anytaque poetriae primae ita uidentur lusisse, ut epigram-

matis etiam artis opera celebrarent. Artis dein auctoritate in dies crescente ac iam literatorum studia prouocante Leonidas Tarentinus epigrammati demonstratiuo eum stilum informauit, a quo qui insequebantur poetae non degenerabant. Ita peculiare quoddam epigrammatis genus cum enatum esset, latius a posteris et cultius propagabatur, priorum tamen imitatione magis quam ingenua inventione. Ac tum praecipue cum Graecorum ars et eruditio Graecarumque urbium copiae Romam transductae Latini nominis dignitatem adornarent, multi in ueterum scriptis plus minusue uersati, ut hanc epigrammatis artem ad uoluptatem exercerent, pelliciebantur Romanorum monumentorum uarietate. Hinc acumina illa frequentatione eneruata atque fastidiosa, hinc omnis ille tenuiculus tritissimarum sententiarum apparatus.

Sapphonem epigrammata conscripsisse Suidas testatur inque coronae prooemio Meleager. Eius est inscriptio VI, 269.

Erinnam Ol. 106, 4 agnitam esse Hieronymus tradit, Georg. Syncellus ante Dionysium Sicilia expulsum Ol. 106, 1. Contra Suidas s. u. Ἤριννα et Eustathius ad Il. *B*, 711 p. 366 extrema. Erinnam ἑταίραν Σαπφοῦς (καὶ ὁμόχρονον Suidas) fuisse docent. In hac traditarum rerum repugnantia G. Richterus in libelli „Sappho und Erinna etc." p. 68 solis chronographorum testimoniis uult fidem habitam, cum quae Suidas Eustathiusque tradant petita esse possint ex aliquo poeta Sapphonem et Erinnam pro poetarum libertate ficte consociante; S. Malzowius in libello de Erinnae Lesbiae uita et reliquiis duas Erinnas fuisse statuit, ut fere Iacobsius in catal. poet. ed. Lips. anth. Graec. tom. XIII, p. 890; Th. Welckerus in „Kleine Schriften" tom. II, p. 145—152 chronographos Erinnae mentionem falso loco fecisse conicit, unam Erinnam agnoscit, eam ad Sapphonis tempora reuocat Suidae auctoritati prorsus addictus. Hunc secuntur Schneidewinus in del. poes. Graec. p. 323, Bernhardyus in „Grundriss der griechi-

schen Litteratur" II, 1 p. 482. 599, Bergkius in poet. lyr. Graec. p. 702. Atque hi omnes adstipulante Weigandio in mus. Rhen. tom. III, p. 170 Erinna ut quod maxime dignum esse antiquamque simplicitatem spirare epigramma VI, 352 duxerunt hoce:

Δέξ' ἀταλᾶν[1]) *χειρῶν τάδε γράμματα, λῷστε Προμαθεῦ·*
ἔντι καὶ ἄνθρωποι τὶν ὁμαλοὶ σοφίαν.
ταύταν γοῦν ἐτύμως τὰν παρθένον ὅστις ἔγραψεν,
αἰ καὐδὰν[2]) *ποτέθηκ', ἦς κ' Ἀγαθαρχὶς ὅλα.*

Quid uero? Sapphonis tempore quae uix prima rudimenta superauerat pictura tantoperene florebat, ut esset cur poetae uersibus nobilitare uellent imagines? An si florebat, tam indiscretam qualis in hoc Erinnae carmine praedicatur, ueritatis similitudinem sectabatur, ut quae uirtus omnium consensu multo posterioris temporis pictoribus competebat, iam tum quasi praecepta fuerit? Eiusmodi profecto acumen, quale in hoc epigrammate nitet, tum demum excogitari poterat, cum ars adulta iam et perfecta efficaci ueritate alliceret poetas etiam minoribus argumentis contentos nouaque lumina captantes. Quod ne temere iudicasse uituperemur, lege modo quattuor illa epigrammata VI, 353. 354, IX, 604. 605 infra p. 36 proposita, quae Nossis in quattuor mulierum imagines composuit. Idem in eis atque in Erinnae epigrammate uersuum numerus et metrum, eadem forma et dialectus, eadem argumenti atque adeo acuminis natura. Quocirca si erat Erinna Sapphonis discipula, sine ulla haesitatione ei epigramma illud detrahi debet. At uero tota haec de antiqua Erinnae aetate opinio uidetur esse originis admodum recentis. Eius enim poemata grammatici Alexandrini quam studiose collegerint, ediderint,

---

1) *δεξαταλαν* Pal. Cum Heckero in commentationis criticae de anth. graec. edit. alt. p. 178 ueremur, ut recte se habeant quae eduntur, eiusdem tamen coniecturae: *δεῖγμ' ἀταλᾶν — ὅττι* diffidimus. Uerum uidisse uidetur Diltheyus amicus, qui coniecit: *δέρξ'*.

2) *αἶκ' αὐγὰν* Pal. *αἶκ' αὐδὰν* Brunckius. *αἰ καὐδὰν* Weiskius de Prometheo p. 500 n. 3.

quam cupide amauerint praeter epigrammata VII, 11—13 ostendit quae fuit quondam inscriptio codicis Erinnae carmina continentis IX, 190[1]):

Λέσβιον Ἠρίννης τόδε κηρίον· εἰ δέ τι[2]) μικρόν,
ἀλλ' ὅλον ἐκ Μουσέων κιρνάμενον μέλιτι.
οἱ δὲ τριηκόσιοι ταύτης στίχοι ἶσοι Ὁμήρῳ,
τῆς καὶ παρθενικῆς ἐννεακαιδεκέτευς,
ἣ καὶ ἐπ' ἠλακάτῃ μητρὸς φόβῳ, ἣ καὶ ἐφ' ἱστῷ
ἑστήκει, Μουσέων λάτρις[3]) ἐφαπτομένη.
Σάπφω δ' Ἠρίννης ὅσσον μελέεσσιν ἀμείνων,
Ἤριννα Σαπφοῦς τόσσον ἐν ἑξαμέτροις.

Sic Erinna diuina laude cum ornaretur, factum est, ut in nouem poetriarum canonem reciperetur, quem epigrammate IX, 26 Antipater Thessalonicensis celebrauit. Nec tamen laudi inuidia defuit. Ita Antiphanes, qui in Philippi corona fuit, epigrammate XI, 322:

Γραμματικῶν περίεργα γένη, ῥιζώρυχα μούσης
ἀλλοτρίης, ἀτυχεῖς σῆτες ἀκανθοβάται,
τῶν μεγάλων κηλῖδες, ἐπ' Ἠρίννῃ δὲ κομῶντες,
πικροὶ καὶ ξηροὶ Καλλιμάχου πρόκυνες,
ποιητῶν λῶβαι, παισὶ σκότος ἀρχομένοισιν,
ἔρροιτ' εὐφώνων λαθροδάκναι κόριες,

in grammaticos, si uerba premere licet, in Callimachi sectatores inuehitur quod *μούσης ἀλλοτρίης* et *τῶν μεγάλων* obtrectatores Erinna glorientur. Ex his omnibus apparet Erinnam — nempe Alexandri Magni aetati subparem — a gram-

1) Hoc epigramma cum reliquis poetis qui de Erinna egerunt fortasse Asclepiade (VII, 11) excepto notum fuisse uideatur, cum ex eo hausta sint, quae Suidas habet: *ἔγραψεν Ἠλακάτην. ποίημα δέ ἐστιν — ἐπῶν τ'. — τελευτᾷ παρθένος ἐννεακαιδεκέτις οἱ δὲ στίχοι ἐκρίθησαν ἶσοι Ὁμήρῳ*, cum Eustathius adeo id apponat, ubi de Erinna loquitur, merito suspicamur grammatici cuiusdam fuisse antiqui, fortasse ipsius Callimachi.

2) *ἁδύ τοι* Pal. *ἁδύ τι* Plan. *εἰ δέ τι* Jacobsius.

3) *λάθρῃ* Heckerus p. 189.

maticis Alexandrinis — simili fere modo atque Antimachum — adnumeratam esse suis. Ac si Propertius in eleg. II, 2, 21 dicit:

et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
carminaque Erinnes non putat aequa suis,

inde num nimii sumus an hoc efficitur: Erinnam inferiorem habitam esse non solum uirtute Corinnae sed etiam aetate? Non refragatur certe Antipater Sidonius, qui in VII, 713 Erinnae carminum paucitatem at immortalitatem opponit *νεαρῶν ἀοιδῶν* multitudini atque mediocritati; aut Plinius qui h. n. 34, 57 dicit Myronem „fecisse et cicadae monumentum ac locustae carminibus suis Erinna significat.“ Ille enim ut Meleagri Gadareni aequalis satis magno interuallo ab Erinna Demosthenis aequali distabat, ut antiquam eam praedicare posset; hic uel potius auctor, quem secutus est, utut Myronem artificem cum Myrone puella confudisse (quod liquet ex epigrammate siue Anytae siue Leonidae VII, 190 de Myrone puella, quae cicadae ac locustae monumentum ἔτευξε) iure reprehenditur, illud tamen nobis quidem probat fuisse quondam Erinnae carmina, quae epigrammate VII, 180 siue Anyta siue Leonidas expresserit. Tale uero argumentum qui conuenit aetati antiquae Erinnae, ut taceamus plura ludere de eadem materia non fuisse moris antiqui? Licet quodammodo repugnat quod Plinius 34, 50 Naucydem Ol. 95 floruisse narrat, quem Erinnae statuam fecisse accipimus a Tatiano in orat. adu. Graec. p. 130 B ed. Otto. Sed longaeuum fuisse Naucydem cum nequeat negari, quin contendi potest ubi nulla optio data est in tanto tot rerum concentu? Carminum enim indoles argumentorumque natura, diserta chronographorum, tacita epigrammaticorum et Properti testimonia cum nobis probent Erinnam Alexandri Magni aequalem, nos quidem, ne tam egregius consensus turbaretur, si necesse foret, uel longius etiam quam nunc opus est Naucydis aetatem produceremus. Neque Suidas aut Eustathius amplius nos turbabunt: quae tradunt illi, ut cum reliquis non coeant, ea uidentur coniectura effecta esse ex epigrammate

illo IX, 190 uetusto, quod supra exscripsimus, ubi Sappho et Erinna componuntur[1]).

Anacreontis epigrammata — de quibus uiri docti mirum quantum diuerse senserunt uide Iacobs. catal. poet. p. 842, Bergk. Anacreont. reliqu. p. 273 squ. Bernhard. I, 2 p. 482 — undeuiginti leguntur hodie in anthologia, quorum VI, 134 —142 in Meleagri corona fuisse apparet, cum epigrammata VI, 133—142 initiorum ordine conglutinentur, quod fugit Weigandi diligentiam. Quattuor autem aperte spuria sunt: VI, 145, quod Sophoclem florentem non uidit; IX, 715. 716 quia Myronis buculam si uiderat — quod ueri perquam dissimile — non ita celebrauit; VI, 144, quod potius Simonidis est uide Bergk. Anacreont. reliqu. p. 278, lyr. graec. p. 918 n. 152. His accedat VII, 263, quod infra p. 32 n. 1 in dubitationem uocabimus; XIII, 4 pro exordio longioris alicuius carminis habendum est. Restant igitur tredecim epigrammata (inter haec autem sunt nouem illa epigrammata VI, 134—142, quae in Meleagri corona fuisse indicauimus) in quae serio nihil incusatur; simplicissima sunt et ad unum omnia uera *ἐπιγράμματα*. VI, 135 inscriptio erat equi Phidolae Corinthi (Paus. 6, 13, 9); alicunde descripti sunt obscuri (Paus. 6, 16, 6?) uersus et manci VI, 138[2]):

Τίν[3]) *μὲν Καλλιτέλης μ' ἱδρύσατο· τόνδε δ' ἐκείνου*
ἔκγονοι ἑστάσανθ', οἷς χάριν ἀντιδίδου.

Item inscriptiones fuere VI, 139—42. 346. Epigramma VI, 143 Hermae insculptum erat Timonactis ante uestibulum aedium positi cf. infra p. 38 n. 3. Tabulae (cf. Iacobs. comment. tom. VI, p. 202), in qua exhibitae erant tres mulieres Dionyso dona ferentes, subscriptum fuit VI, 134.

Simonidis Cei epigrammatiorum plurima hodie leguntur in eis partibus Palatinae, quae propter poetarum nomina,

---

1) Potuit insuper in errorem inducere Erinnae epigramma VII, 710, in quo Baucidis fuisse se *συνεταιρίδα* profitetur; sicut ex eodem notitiam Teniam fuisse Erinnam hausit idem auctor, quo Suidas et Eustathius utebantur.

2) In lemmate: *ὁμοίως* (i. e. *ἀνάθημα τῷ Ἀπόλλωνι*).

3) *Πρὶν* Pal. cf. Callimachi VI, 351, 1.

paucula quaedam, quae propter literarum ordinem ad Meleagri coronam reuocantur, et quidem VII, 270, deinde VII, 300—302, non casu enim factum esse uidetur, ut, quod neglexit Weigandius, epigrammatum VII, 298—303 ordo alphabeticus sit. Simonides autem quamquam multa epigrammata profundebat — quod ex eorum quae nobis seruata sunt uarietate colligitur — tam sobriam tamen, cum epigrammatum usum ex mediocritate liberatum ad poesis cultum transformaret, artis moderationem sibi imposuit, ut etsi suauissime, sola quae ad rem facerent, proferret, itaque inscriptionum seueritatem coartaret potius quam dilataret. Sic in eius epigrammatis nomina audimus, breuitatis elegantiam plene docti admiramur, nullam artis operum descriptionem aut de eis iudicium expiscamur. Quamquam in Plan. 24 *Μίλωνος ἄγαλμα* uocatur *καλοῦ καλὸν* et laus quaedam artificis continetur epigrammate, quod Diogenes Laertius IV, 21 seruauit, hoce:

Ἀρτέμιδος τόδ' ἄγαλμα, διηκόσιαι γὰρ[1]) *ὁ μισθός*
δραχμαὶ ταὶ Πάριαι, τῶν ἐπίσημα τράγος.
ἀσκητὸς[2]) *δ' ἐποίησεν Ἀθηναίης παλάμῃσιν*
Ἄξιος Ἀρκεσίλας υἱὸς Ἀριστοδίκου.

Vt alia quae nos minus spectant missa faciamus, Aristogitonis Harmodique statuas ornabat epigramma quod Hephaestio de metr. 4, 7 praebet; *ἅρμα χαλκοῦν* Athenis positum (Paus. 1, 28, 2) epigramma quod extat apud Herodotum 5, 77 atque Aristidem

1) *γὰρ* Menagius, uulgo *δ' ἄρ'*.

2) *ἀσκητῶς* Bergk. in lyr. p. 920, omnino male, *ἀσκητὸς* cum *παλάμῃσιν* coniungendum est. In Eucharitis elogio, quod Ritschelius in monum. prisc. latin. epigr. tab. 81 repraesentat, legitur:

docta . erodita . paene . musarum . manu.

cf. epigramma apud Athen. II, p. 48 b:

τεῦξ' Ἑλικὼν Ἀκεσᾶ Σαλαμίνιος, ᾧ ἔνι χερσὶν
πότνια θεσπεσίην Παλλὰς ἔτευξε χάριν.

et inscriptionem in corp. inscr. II, n. 2025:

πάσαις ἐν πολίεσσι τέχνην ἤσκησα πρὸ πάντων
ψηφοδέτης, δώροις Παλλάδος ....αμενος,

ubi male Franzius *εὐράμενος*. cf. Hom. Il. *O*, 411. Pind. Olymp. XI, 21.

2, 512; Panem a Miltiade statutum epigramma Plan. 232; mulierum siue meretricium Corinthiarum tabulam pictam epigramma apud Athenaeum XIII, p. 573 d e; Hermam a Leocrate positum epigramma VI, 144; *ἄγαλμα* a Nicolada dedicatum epigramma XIII, 19; imagines Theogneti (Paus. 6, 9, 1) epigramma Plan. 2, Philonis epigramma quod habet Pausanias 6, 9, 9, Diophontis epigramma Plan. 3, Casmyli epigramma Plan. 23, Alconis epigramma quod legitur inter miscellanea quattuar foliorum codici Palatino agglutinatorum (cf. Welck. Syll. p. 222, Huschk. anal. crit. p. 198); Polygnoti picturam delphicam ornabat epigramma quod Pausanias X, 27, 4 nobis tradidit, Cimonis Dionysique picturas epigramma IX, 758; in uictorem quendam compositum, si id Simonidis est, epigramma mancum hodie apud Aristotelem rhet. I, 7 p. 1365 a ed. Bekk. Quod tamen nonnulli contenderunt iam Simonidem praelusisse recentiori mori epigrammatum demonstratiuorum, id praefracte negandum est. Nam licet *παίγνια* confecerit neque ornatum quendam spreuerit, ubi ille argumenti tenuitate flagitaretur (uide Schneidew. Simon. rel. p. 136), ita tamen quae eius feruntur demonstratiua distant ab eis, quae eius sunt, ut in nullo fere alio poeta genuina a spuriis facilius dignoscantur. Exemplo sit epigramma illud in Anacreontis tumulum VII, 25, quod Schneidewinus in praef. ad Simon. rel. p. XXXIV eximia laude extulit, nuper demum Bergkius in altera lyr. editione p. 926 Simonidi abiudicauit nullis caussis indicatis:

Οὗτος Ἀνακρείοντα, τὸν ἄφθιτον εἵνεκα Μουσῶν
ὑμνοπόλον, πάτρης τύμβος ἔδεκτο Τέω,
ὃς Χαρίτων πνείοντα μέλη, πνείοντα δ' Ἐρώτων,
τὸν γλυκὺν ἐς παίδων ἵμερον ἡρμόσατο.
μοῦνος δ' εἰν Ἀχέροντι βαρύνεται, οὐχ ὅτι λείπων
ἠέλιον Λήθης ἐνθάδ' ἔκυρσε δόμων·
ἀλλ' ὅτι τὸν χαρίεντα μετ' ἠϊθέοισι Μεγιστέα,
καὶ τὸν Σμερδίεω Θρῆκα λέλοιπε πλόκον[1]).

---

1) *πόθον* Pal., quod ne in Leonida quidem tolerari potest. Maxim. Tyr. 8 p. 96 *μεστὰ δὲ αὐτοῦ* (*Ἀνακρέοντος*) *τὰ ᾄσματα τῆς Σμερ-*

μολπῆς δ' οὐ λήγει μελιτερπέος, ἀλλ' ἔτ' ἐκεῖνον
βάρβιτον οὐδὲ θανὼν εὔνασεν εἰν Ἀΐδῃ.

Ita enim nobilium uirorum manes celebrare, ut fabuloso ornatu induti heroum instar prodeant, sola posteritas solet; non solent aequales, quos recens dolor atque quam ipsi uiderunt ueritas retinet, quominus ad hilariorem et liberiorem laudis conformationem perueniant. Simonides certe non potuit in inscriptione funebri Anacreontis illum — postmodo quam decantatum — in pueros amorem commemorare. Neque Simonide digna, ut alia taceamus, inconcinna illa tam membrorum quam notionum elocutio, quae spectatur in uerbis: βαρύνεται οὐχ — ἀλλ' ὅτι — λέλοιπε. Ne multa! rem acu tetigit Bergkius, cum totum epigramma Leonidae Tarentini esse suspicaretur. Nempe is, ut assolet apud illius aevi poetas, plura de eodem Anacreonte panxit, his simillima; idem eiusdem coloris epigrammata funebria condidit in Hipponactem VII, 408, Alcmanem VII, 19, Erinnam VII, 13. Ac simile profecto primis epigrammatis uersibus exordium epigrammatis Leonidae VII, 19; eundem fere, qui in uersibus 5—8 conspicitur, sensum adhibuit in epigrammate VII, 455. Ceterum ut planum fiat, quam diuersa sit diuersis temporibus laudationis ratio, perlegas, quaeso, Critiae uersus in Anacreontem, quos Athen. XIII, p. 600 d e (Bergk. p. 483 n. 7) memoriae prodidit. — Feruntur autem sub Simonidis nomine demonstrativa quaedam, quae ad Simonidis similitudinem confecta sunt, fuerunt enim antiquitus, qui Simonidem imitarentur (Schneidew. Simon. p. 135). Huiusmodi sunt frigidissimi uersus Plan. 82, Plan. 60; neutiquam Simonidis lusum agnoscimus in VI, 216; epigramma IX, 757 non esse Simonidis infra p. 27 patebit.

δίεω κόμης. Etymol. Magn. 714, 38 praebet haec Anacreontis uerba: Θρηκίην σίοντα χαίτην (Bergk. p. 786 fr. 50). Antipater Sidonius, qui ubique Leonidam imitabatur, hos uersus ante oculos habuit, cum scriberet in VII, 27 de Anacreonte:

ἠὲ πρὸς Εὐρυπύλην τετραμμένος, ἠὲ Μεγιστῆ,
ἢ Κίκονα Θρηκὸς Σμερδίεω πλόκαμον.

Epigramma XIII, 14 supra omisimus, ut quam fecimus de eo coniecturam hoc loco proferamus. Pausanias (3, 21, 1) duos Ladas cursores nouit, alterum Achaeum siue Aegiensem, qui Ol. 125 Olympiae stadiodromus uicit (Paus. 10, 23, 14), alterum Argiuum, ut suspicamur (quippe cuius imago Argis in templo Apollinis posita fuerit u. Paus. 2, 19, 7) [1]), *ποδῶν ὠκύτητι ὑπερβαλλομένου τοὺς ἐπ' αὐτοῦ* (cf. Paus. 2, 19, 7)· *καὶ δὴ καὶ Ὀλυμπίασιν ἐστεφανοῦτο δολίχῳ κρατῶν, δοκεῖν δέ μοι κάμνων αὐτίκα μετὰ τὴν νίκην ἐκομίζετο, καὶ συμβάσης ἐνταῦθά* (prope Eurotam in terra Lacedaemoniorum) *οἱ τελευτῆς ὁ τάφος ἐστὶν ὑπὲρ τὴν λεωφόρον.* Hunc Argiuum — non alterum illum Achaeum ut plerique uiri docti putauerunt — magna fama excelsum auctor ad Herenn. IV, 3, Seneca ep. 85, 4, Martialis II, 86, 8, X, 100, 5, Iuuenalis XIII, 97 commemorant, Catullus 55, 24 cum Perseo iungit, Solinus p. 7 C. ed. Salmas. Par. 1629 primam palmam uelocitatis adeptum esse praedicat, cum „ita supra cauum puluerem cursitauerit, ut in arenis (pedibus) [2]) pendentibus nulla indicia reliquerit uestigiorum"; ad eundem referenda sunt uerba Maximi philos. 427: *εἰ καὶ γοῦνα θοώτερα καὶ πόδας ἴσχει — κουφοτέρους Λᾴδαο* [3]), atque uerba Plutarchi praec. ger. reipubl. cap. 10, p. 804 e (cf. Lucian. Tim. 20 *ἅμα γοῦν ἔπεσεν κ. τ. λ.*): *ὥσπερ ἐπὶ τοῦ Λᾴδα λέγουσιν, ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασιν, ἔνθα καὶ ἐστεφανοῦτο.* De eodem agit Plan. 53 incerti auctoris:

Τὸ στάδιον Λᾴδας [4]) *εἴθ' ἥλατο, εἴτε διέπτη,*
οὐδὲ φράσαι δυνατόν· δαιμόνιον τὸ τάχος [5]).

---

1) Eiusdem Ladae putatur fuisse stadium, quod inter Mantineam et Orchomenum uidit Pausanias 8, 12, 5: *τῇ μέν ἐστι καλούμενον Λάδα στάδιον, ἐς ὃ ἐποιεῖτο Λάδας μελέτην δρόμου.*

2) pedibus ante pendentibus intercidisse uidetur.

3) *Λᾴδας*, non *Λάδας* scribendum esse docuerunt Lobeckius paral. p. 229, Meinekius in delectu p. 114.

4) Sic uerba ponenda esse uidit Jacobsius; *Λάδας τὸ στάδιον* Plan.

5) *δαιμόνων τὸ τάχος· οὐδὲ φράσαι δυνατόν* Plan.; transpositionem suadet et lex metrica et uersus conformatio in imitatione incerti auctoris XI, 86.

Hoc epigramma cum ad ridiculum argumentum detorsum sit ab auctore epigrammatis XI, 86 (ut ab Nicarcho in epigrammate XI, 119):

Τὸ στάδιον Περικλῆς εἴτ' ἔδραμεν, εἴτ' ἐκάθητο,
οὐδεὶς οἶδεν ὅλως· δαιμόνιος βραδυτής.
ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασι καὶ στεφανοῦτο
ἄλλος, καὶ Περικλῆς δάκτυλον οὐ προέβη,

inde Jacobsius tom. XII, p. 59. Plutarchi uerbis supra exscriptis nisus disticho illi haec addi uoluit:

ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασι, καὶ στεφανοῦτο
Λάδας — —

quae nos Pausaniae uerbis 3, 21, 1 quae supra exhibuimus insistentes sic continuamus:

καὶ κάμνων δάκτυλον οὐ προέβη.

ita, ut totum epigramma hunc in modum scribendum foret:

Τὸ στάδιον Λάδας εἴθ' ἥλατο, εἴτε διέπτη,
οὐδὲ φράσαι δυνατόν· δαιμόνιον τὸ τάχος.
ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγγος ἐν οὔασι, καὶ στεφανοῦτο
Λάδας καὶ κάμνων δάκτυλον οὐ προέβη.

Huius autem Ladae imaginem Myron ex aere fudit celebratam illam epigrammate Plan. 54:

Οἷος ἔης φεύγων τὸν ὑπήνεμον, ἔμπνοε Λάδα,
Θῦμον, ἐπ' ἀκροτάτῳ νεῦρα ταθεὶς ὄνυχι [1]),
τοῖον ἐχάλκευσέν σε Μύρων, ἐπὶ παντὶ χαράξας
σώματι Πισαίου προςδοκίην στεφάνου.

Hic enim finitum esse epigramma contendimus; qui his iuncti eduntur uersus:

πλήρης ἐλπίδος ἐστίν, ἄκροις δ' ἐπὶ χείλεσιν ἆσθμα
ἐμφαίνει κοίλων ἔνδοθεν ἐκ λαγόνων.
πηδήσει τάχα χαλκὸς ἐπὶ στέφος, οὐδὲ καθέξει
ἁ βάσις· ὢ τέχνη πνεύματος ὠκυτέρα [2]).

qui si cum prioribus unum epigramma efficerent, misere non solum allocutio sisteretur praeter usum horum poetarum, sed

1) Sic Heckerus p. 68, *πνεύματι θεὶς ὄνυχα* Plan.

2) *πνεύματός ἐσσι τέρας*?

etiam eaedem sententiae iterarentur, aperte ad aliud epigramma de eadem Ladae imagine pertinuerunt[1]). Sed Simonidis epigramma XIII, 14, unde exorsi sumus, hoc est:

Ἀργεῖος Δάνδις[2]) σταδιοδρόμος ἐνθάδε κεῖται
 νίκαις ἱππόβοτον πατρίδ' ἐπευκλεΐσας,
 Ὀλυμπίᾳ δίς, ἐν δὲ Πυθῶνι τρία,
 δύω δ' ἐν Ἰσθμοῖ, πεντεκαίδεκα Νεμέᾳ.
τὰς δ' ἄλλας νίκας οὐκ εὐμαρές ἐστ' ἀριθμῆσαι
 . . . . [3]).

Si Δάνδις ille uel Δάνδης, qualem scripserunt uiri docti, alius erat atque Ladas noster, duo eisdem temporibus celeberrimi cursores fuissent et quidem uterque Argiuus, quod fidem excedit; insuper iure miraremur Pausaniam, quod Dandem tanta uirtute excellentem tacuerit. Iam cum ΛΑΙΔΑC facillime in ΔΑΝΔΙC abire potuerit, quid probabilius quam Λᾴδας Simonidi restituendum esse? Obstare quidem uidetur, quod a Pausania Ladas proditur δολιχοδρόμος, non diserte σταδιοδρόμος, sed neque integrum est Simonidis epigramma, et Pausanias, ceteroquin de eius pernicitate potissimum disputans, ad ulti-

1) Nobilem hanc Ladae statuam, quae sine dubio olim Olympiae collocata erat, cum Olympiae Pausanias non uidisse videatur, quoniam Ladas a Romanis scriptoribus tam crebro commemoratur, Romae fuisse non temere iudicare nobis uidemur. Ac mirum foret, si Plinius tam celebratum opus omisisset, ubi Myronis opera lustrat. Dicit ille 34, 59: fecit et canem et discobolum et Persea etc., ubi offendit tam aliena quam necopinata mentio canis aliunde prorsus ignoti. Omnia quidem quae huc faciunt momenta respicienti, si Ladam scribere proponimus, non audaculi uidebimur. cf. Catull. 55, 24:

Non ego Ladas pennipesue Perseus.

2) Sic Pal. — Δάτης Dionys. Halicarn. antiqu. Rom. IX, 37 ed. Reisk. — Δάνδης Diod. Sic. XI, 53, sic quoque S. I. Africanus in Ol. 77 p. 39 ed. Rutgers., ubi interpretatio Armenica: Dandinus.

3) Pentametrum deesse Heckerus p. 91 perspexit; in hoc poeta non patris nomen uirique aetatem quod uidebatur Heckero sed potius mortem eius enunciauit; funebris enim inscriptio est, eadem, si uere restituimus Ladam Simonidi, quam Pausanias 3, 21, 1 legisse uidetur.

mam tantum eius uictoriam respicere uidetur[1]). Ac ne desideres similis nominum confusionis exemplum Demainetus apud Plinium 8, 82 Olympionices idem atque Demarchus apud Pausaniam 6, 8, 2.

Bacchylidis epigramma VI, 53 ueram dedicationem continet.

Quam non luserint epigrammatis antiquiores poetae, luce clarius fit epigrammate de Acrone medico, quod Empedocli Diogenes Laertius 8, 2, 9 tribuit hocce:

Ἄκρον ἰατρὸν Ἄκρων', Ἀκραγαντῖνον, πατρὸς Ἄκρου[2])
κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.

Id et uolutabundus lepor[3]) in cumulata *ἄκρον* notionis commemoratione, et fabella, quae ei occasionem dedisse narratur, demonstrant commentum fuisse hominis fortasse circa uitas illustrium uirorum sudantis, factum illud, si uera est, quam Steinius in Empedocl. fragm. p. 9 proponit coniectura, ad similitudinem uersus 389 *τῶν καθαρμῶν.*

Non leuis est, sed spinis spissa de Evenis poetis quaestio, in qua quid nobis persuaserimus paucis exponamus. Teste Harpocratione (s. u. *Εὔηνος*) Eratosthenes *ἐν τῷ περὶ χρονογραφιῶν* duos Euenos, utrumque et Parium et elegiographum fuisse, minorem solum inclaruisse tradidit. Hunc minorem eundem esse, quem Plato compluries (uide Wyttenb. ad Plat. Phaed. p. 125) a Socrate (aequali ut uidetur natu

1) Conspirat, quod Rutgersius p. 40 disputat: „Altera Dandis uictoria Olympica nec qua Olympiade reportata sit traditur, nec quo cursus genere; nam quamquam *σταδιοδρόμος* Simonidi dicatur, certissimum tamen est alteram illam uictoriam non simplici stadio esse reportatam."

2) Sic Diltheyus, *ἄκρου* Diog.

3) Lusum in nominibus non demiramur, sed ita immodicum. Funditus diuersi sunt lusus illi, qui saepius, etiam in inscriptionibus funebribus reperiuntur, uelut in corp. inscr. I, n. 710, II, n. 3559, III, n. 5860. n. 6205, in epigrammatis VI, 188; VII, 633, in Simonidis epigrammate apud Athenaeum XIII, p. 573 d, quale Bergkius in lyr. gr. p. 914 edidit. cf. Welcker. syllog. p. 82.

maiore)[1]) sophistam et eloquentiae doctorem et poetam cauillari facit, cuius uersus aliquot Aristoteles prodit, id cum de alius Eueni gloria nihil adhuc innotuerit conicere non licet nobis, sed debemus. Coniecturae subsiciuum fulcimen Suidas subministrat, qui s. u. *Φίλιστος* Philistum Syracusanum Dionysiorum amicum *Εὐήνου τοῦ ἐλεγειοποιοῦ* discipulum fuisse docet. Ad maiorem igitur Euenum, procul dubio Eueni Platonici auum, ignotum alioquin hominem referendum quod Syncellus Eueni elegiographi florem Ol. 80 assignat. Minoris autem Eueni nonnulla alibi seruata sunt (uide Bergk. lyr. p. 474—75) et pars illa elegiae quae extat XI, 49 ei danda est, quod uidit iam Wagnerus diss. de Euenis poet. p. 36, ceteroquin multa futilia disputans. Sed alium Euenum elegiarum poeta recentiorem fuisse lasciuum illum scriptorem ponimus, quem Ausonius Cent. Nupt. p. 517 ed. Stoll. p. 214, ed. Bipont. a Menandro sapientem uocatum esse refert, cuius erotica nominat Artemidorus Oneir. 1, 4, cum Aristidis fabulis Milesiis obscoenitate famosis componit Arrianus disp. Epict. 4, 9, 6. Huic tribues non sine ueritatis specie epigramma XII, 172 in Stratonis musa (cf. Bergk. lyr. p. 477 uers. 13). Verum quae alia in anthologia Eueni leguntur, nulli horum debentur. Nullum Euenum Meleager in prooemio recenset, nulla epigrammata Eueni inscripta in eis partibus exhibentur, quae Meleagri coronae deberi in confesso est. Sed Philippus Thessalonicensis cum in coronae exordio Euenum nominet, quoniam prouenit in parte quae ad Philippum reuocatur Euenus grammaticus IX, 251, ad hunc poetam si non omnis, maior certe pars eorum deleganda est, quae Eueni in anthologia supersunt. Nec parta lux eo obrui debet, quod e lemmate ad IX, 602 Euenus Atheniensis euadit, ad IX, 62 Euenus Siculus, ad IX, 75 Euenus Ascalonius. Nec enim tot Euenos

1) Quod caueas ne Suidae auctoritate effici rearis, in cuius uita Socratis olim (cf. Westerm. Biogr. p. 442, 96) inter Socratis discipulos Euenus legebatur, cum reniterentur optimi codices (uide Suid. ed. Bernh. II, p. 843 b, 11).

poetas eodem fere tempore eminuisse probabile, et quam uariis nominibus eidem interdum appellati sint satis aliunde constat. Itaque summo iure Iacobsius in cat. poet. p. 894 *Σικελιώτου* ex *Ἀσκαλωνίτου* deprauatum esse suspicatur; epigrammati IX, 602 propter peculiare argumentum (*φωλὰς* enim *σελιδηφάγος* increpitatur) uidetur Eueni grammatici inscriptum esse; eodem autem iure quo alii cum diuersis locis degerent diuersis eidem nominibus designabantur, poterat saltem Ascalonius etiam Atheniensis uocari. Ergo unum solum Euenum coronae Philippicae poetam agnoscere inclinat animus; idque uide quam inde probetur, quod magna regnat in omnibus argumentorum et tractationis poeticae similitudo, conspicua illa praesertim in climata quaesitarum oppositionum elocutione[1]). Sed utut de hac re, quae strenuo iudicio exiguas ansas praebet, aliter sentiri potest: hoc certum in Philippi corona fuisse Euenum poetam, illud ueri simillimum, huius Eueni superesse epigrammata IX, 717. 718 Plan. 165. 166 — aperte illa unius poetae. Epigrammata IX, 717. 718 tritas de Myronis bucula facetias promunt; cetera de Venere Praxitelis scripta sunt haec:

Παλλὰς καὶ Κρονίδαο συνευνέτις εἶπον ἰδοῦσαι
τὴν Κνιδίην· ἀδίκως τὸν Φρύγα μεμφόμεθα.

τοῦ αὐτοῦ.

Πρόσθε μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσιν αὐτὸς ὁ βούτας
δέρξατο τὰν κάλλευς πρῶτ' ἀπενεγκαμέναν.
Πραξιτέλης Κνιδίοις δὲ πανωπήεσσαν ἔθηκεν
μάρτυρα τῆς τέχνης ψῆφον ἔχων Πάριδος.

---

1) Qua in re Bergkium miramur quod epigrammata illa inter tres poetas Euenos dispescuerit. Sed ille, ut hoc faceret, uidetur eo adductus esse, quod mira profecto neglegentia IX, 251 epigramma e Meleagri corona deriuatum esse putauerat, quod constat ex Philippi corona receptum esse a Constantino Cephala (cf. Passow. opusc. acad. p. 192, Caesar. diurn. antiqu. 1838 p. 1178, Weigand. in Mus. Rhen. tom. III, p. 545). Idem praeterea in hoc epigrammate „de re grammatica" (sic!) agi affirmat.

Horum quattuor uersuum acumen haud planum ac uix plenum est. Omnes sex uersus uno tenore legendos esse proponeremus, ita ut hic fere sensus euadat: „Nos (i. e. Minerua et Iuno) Paridem iniuria uituperamus, nam antea solus Venerem et uidit et primas ei detulit; nunc Venus cum Praxitelis manu facta omnibus pateat, omnibus pulcherrima probatur", ni ultimi uersus conformatio coniecturae obesset[1]).

Antimachi de Venere armata epigramma IX, 321:

Τίπτε μόθων ἄτλητος, Ἐνυαλίοιο λέλογχας,
Κύπρι; τίς ὁ ψεύστας στυγνὰ καθᾶψε μάτην
ἔντεα; σοὶ γὰρ Ἔρωτες ἐφίμεροι, ἅ τε κατ' εὐνάν
τέρψις, καὶ κροτάλων θηλυμανεῖς ὄτοβοι.
δούρατα δ' αἱματόεντα μέθες Τριτωνίδι δίᾳ
ταῦτα· σὺ δ' εὐχαίταν εἰς Ὑμέναιον ἴθι,

in parte coronae Meleagricae legitur. Sed cum Antimachum in coronae prooemio Meleager non commemorauerit — quod,

1) Leonidae Tarentini epigramma IX, 99:

Ἴξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις ἔν ποθ' ἀλωῇ
οἴνης τοὺς ἁπαλοὺς πάντας ἔδαψε κλάδους·
ἡ δ' ἔπος ἐκ γαίης τόσον ἄπυε· κεῖρε κάκιστε
γναθμοῖς ἡμέτερον κλῆμα τὸ καρποφόρον·
ῥίζα γὰρ ἔμπεδος οὖσα πάλιν γλυκὺ νέκταρ ἀνήσει,
ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ,

scite monuit Bergkius eundem Euenum imitatum esse epigrammate hoce Pal. IX, 75:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.

Inde autem apparet hoc Eueni epigramma mutilum esse, et cum plenus in eo sensus desideraretur lemma ortum esse *εἰςαμπελον ἣν τραγος κατέφα.* Quamobrem Leonidae potius quam Eueni epigramma non asseuerauerimus in mente fuisse Ouidio cum in fast. I, 353 sequ. poetaretur:

Exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in uite prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit:
„Rode, caper, uitem! tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit."

si eius epigrammata recepisset, qua florebat ille gloria apud Alexandrinos, sine dubio fecisset —; cum Antimacho neque ullum aliud epigramma detur neque usquam ab eo epigrammata condita esse audiamus (cf. Antimachi rel. ed. Schellenb. p. 33); cum epigrammatis argumento ad seriora tempora relegemur —, sine ulla haesitatione Antimachi nomen ex epigrammatum poetarum catalogo eximendum est. Iam uero Ruhnkenius ad Callimach. ep. 72 p. 332 ed. Ernest. coniecit oscitantem librarium Antimachum pro Callîmacho dedisse, ut alibi passim, dignum certe epigramma esse eius elegantia. Ruhnkenium secutus est Stollius in animaduers. in Antim. Coloph. fragmenta et in Antim. Coloph. reliqu. p. 111; Meinekius uero, cui nos adstipulamur, in Callimachi ed. p. 117 negat habere epigramma characterem Callimachium. Fortasse Antipatri est nempe eius, qui in idem argumentum procudit Plan. 175. 176, cuius aliud infra legitur epigramma IX, 323. Sed cuius auctoris fuerit, minus nos tangit: contenti sumus indubitatis de caussis uetusto poetae detraxisse epigramma demonstratiuum.

Ad quaestionem uenimus lubricam de Platonis quae feruntur epigrammatis. Adulescentem enim Platonem poesi indulsisse, Socrate uero audito cum quo ingenium naturaque duceret intellexisset, quidquid Musis debuerat Volcano dedisse a multis traditur (cf. Wernicki de epigrammatis quae uulgo Platoni phil. adscribuntur dissert. p. 1). Huc accedit quod epigrammata illa ad unum fere omnia Platonis ingenio indigna uidentur (cf. C. F. Hermannum „Gesch. u. System der platon. Philos.“ p. 101). Sed antequam iudicium fiat, utrum aliqua an nulla Platonis extent, si extant, quot qualiaque, necessario id anquirendum est, quaenam olim Platonis habita sint. Non omnia enim quae Platonis inscribuntur Platoni philosopho vindicata esse inde colligas quod perhibentur in lemmate epigrammatis VII, 669 (VII, 670 inscribitur *τοῦ αὐτοῦ*) *ὁ φιλόσοφος*; IX, 45 *ὁ μέγας*; IX, 13. 748. 751 *ὁ νεώτερος*; IX, 359 *ο κωμικός*. Ac Meleager quidem *ἀεὶ θείοιο Πλάτωνος* epigrammata coronae inseruit. Extant autem Platonis in eis partibus quae propter literarum ordinem Meleagro deberi censen-

tur VII, 265. 268. 269, ut nobis uidetur etiam VII, 669. 670; in eis partibus, quae propter poetarum nomina a Meleagro repetuntur VI, 43, VII, 256. 259. Haec octo epigrammata, etsi sola VII, 669. 670 Platonis philosophi inscribuntur, quin Meleager omnia a Platone philosopho profecta esse putauerit, uix iure dubitaueris. Accedat eis quod Platoni magno tribuitur epigramma IX, 45. Iam uero Platonis philosophi esse confirmantur:

V, 78 a Gellio (N. A. XIX, 11) qui „ueteres scriptores" sequitur, a Diogene Laertio (III, 23), qui quin omnia quae affert Platonis epigrammata, ex Aristippi quarto *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς* petiuerit, dubitari uix potest,

V, 79. 80 a Diogene Laertio ib.,

VI, 1 ab Ausonio (ep. 55), ab Olympiodoro (in Alcibiad. p. 31 ed. Creuzer.),

VI, 43 a Meleagro (in Plan. est *ἀδέσποτον*),

VII, 99 a Diogene Laertio ib.,

VII, 100 a Diogene Laertio ib., ab Apuleio de mag. cap. 10 p. 13 ed. Bip., qui eodem Aristippo niti uidetur, eadem enim habet atque Diogenes Laertius,

VII, 217, quod in anthologia Asclepiadi datur, ab Athenaeo XIII, p. 589 c, qui fortasse eundem Aristippum sequitur (cum alibi p. 566 d narret quae Diogenes Laertius II, 5, 7 ex Aristippo hausta proponat), a Diogene Laertio ib.,

VII, 256 a Meleagro, quod in Philostr. uit. Apoll. I, 24 *ἀδέσποτον* est,

VII, 259 a Meleagro, Diogene Laertio ib. (in Plan. est *ἄδηλον*),

VII, 265. 268. 269 a Meleagro,

VII, 669. 670 a Meleagro, ab Apuleio ib., a Diogene Laertio ib., Apostol. 1, 1,

IX, 39 quod Musici est in Pal., *ἄδηλον* apud Stobaeum 61 p. 388, a Planude et Diogene Laertio ib.,

IX, 44, quod Statylli Flacci inscribitur, a Diogene Laertio ib.,

App. 63 a Thoma Magistro uit. Arist. p. 160 West., ab Olympiodoro uit. Plat. p. 384 West.

Haec cum maiore ex parte amatoria sint, confirmatur quod Apuleius in orat. de mag. l. l. nimium fortasse utpote sui ipsius patronus negat ulla Platonis carmina extare nisi amoris elegia; unde probatur nobis quod suspicamur paene omnem Platonicorum carminum notitiam ex quattuor illis περὶ παλαιᾶς τρυφῆς libris profectam esse, ab impudenti aliquo homine post Alexandri Magni tempora (cf. Diog. L. V, 1, 5 et V, 2, 6) sub Aristippi nomine suppositis, in quibus quam leuiter auctor desultorius in amores magnorum uirorum inquisiuerit, intellectu procliue est ex eis quae supersunt perpauca sed singularia fragmenta (cf. Müll. fragm. hist. II, p. 79). Restant igitur in anthologia quae nudum Platonis nomen ferant: VII, 35, cuius auctorem Plutarchus de anim. procr. cap. 33 aut nescit aut addubitat, IX, 3. 51. 506. 747. 823. Plan. 11. 13. 160. 161. 210. 248. Sed alius erat PLATO IVNIOR, is quidem nobis iudicibus in corona Philippi. Epigrammata enim IX, 13 Platonis iunioris *Ἀνέρα τις λιπόγυιον*, IX, 14 Antiphili Byzanti *Αἰγιαλοῦ τενάγεσσιν*, IX, 15 incerti auctoris *Αὐτὸ τὸ πῦρ* repetimus ex Philippi corona, in qua fuerit Antiphilus Byzantius; ac ni fallimur epigrammata VII, 35 Platonis *Ἄρμενος ἦν*, VII, 36 Eryci *Αἰεί τοι*, cum Erycius (cf. Weig. l. l. p. 547) in Philippi corona fuerit, indidem fluxerunt, sicuti IX, 746 Polemonis regis *Ἑπτὰ βοῶν*, qui Polemo in Philippi corona erat (Weig. l. l. p. 548), IX, 747 Platonis *Εἰκόνα πέντε βοῶν*. Ac fulcitur coniectura eo, quod etiam epigrammata IX, 748. 751 quae Platoni iuniori diserte uindicantur, eadem litera incipiunt: *ἁ λίθος* et *ἁ σφραγίς*. Hic Plato iunior fortasse Sardianus ille erat, quem scimus ex Cic. ep. ad Quint. fr. 1, 2, 8 Epicureum fuisse, sub finem septimi u. c. saeculi uixisse, multum fuisse Athenis[1]). Eius igitur forent VII, 35. IX, 13. 747. 748. 751. Quae cum maiore ex parte artis opera describant, quid impedit, quaeso, quominus eidem Platoni iuniori àssignemus alia eiusmodi epigrammata simpliciter Pla-

1) Eisdem fere temporibus uixit Philodemus illustris ille Epicureus, idem epigrammatum auctor.

tonis inscripta, quae a Platone philosopho facta esse uix antiquitus censeri poterant uelut hoc in Praxitelis Venerem Pl. 160:

Ἡ Παφίη Κυθέρεια δι' οἴδματος ἐς Κνίδον ἦλθεν,
βουλομένη κατιδεῖν εἰκόνα τὴν ἰδίην·
πάντη δ' ἀθρήσασα περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ[1])
φθέγξατο· ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;[2])

et hoc in Satyrum in phiala caelatum Plan. 248 (ni Antipatri est cf. infra p. 52 n. 1):

Τὸν Σάτυρον Διόδωρος ἐκοίμισεν, οὐκ ἐτόρευσεν·
ἢν νύξῃς, ἐγερεῖς ὀργίλον·[3]) *ὕπνον ἔχει,*

1) *περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ* uerba ex Homero petita cf. Odyss. 1, 426; 10, 211. 253; 14, 6 sicuti in funebri inscriptione (C. Inscr. 3 n. 6779) eadem leguntur:

τεῦξα δὲ τοὶ μέγα σῆμα περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ,
θηητὸν πάντεσσι, θύρας δ' ἐπέθηκα φαεινάς, etc.

fortasse indicant singularem illum apparatum, quem significat Plinius 36, 21 uerbis hisce: aedicula eius (Veneris Cnidiae) tota aperitur, ut conspici possit undique, cf. Lucian. amor. 13.

2) Huic epigrammati, ut dudum intellectum est a uiris doctis, quod adhaeret in Plan. hoc:

Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος·
ἔξεσ', Ἄρης οἵαν ἤθελε τὴν Παφίην,

ali debetur poetae Platonis acumen continuanti, quem inuicem alius etiam sequitur hisce:

Οὔτε σε Πραξιτέλης τεχνάσατο, οὔθ' ὁ σίδαρος
ἀλλ' οὕτως ἔστης ὥς ποτε κρινομένη.

Omnia miscet Bergkius Lyr. Gr. p. 495; fugit eum epigramma Plan. 162 hoc:

Ἁ Κύπρις τὰν Κύπριν ἐνὶ Κνίδῳ εἶπεν ἰδοῦσα·
φεῦ, φεῦ, ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;

nil esse nisi imitationem epigrammatis supra propositi, inserta *φεῦ* uoce, adeo iterata misere languentem.

3) *ἄγρυρος* Plan. quod manifesto corruptum est, cf. A. Nauckium mélang. grécor. II, p. 258. *νύσσειν* uerbum in usu erat, ubi quis dormientis quietem interrumperet cf. Hom. Od. 14, 485; ceterum impolitior ictus utpote in Satyrum aptissimus; urbanius alius poeta (Plan. 146) *λαΐνέας μὴ ψαύετε τᾶς Ἀριάδνας* utpote de femina. *ὀργίλον* quod posuimus, de Satyro perbene dici potest. cf. Plan. 240, 3 *ὀργί-*

et fortasse hoc de Satyro quodam in fonte posito cum Amore dormiente IX, 826, quod in Pal. *ἄδηλον*, in Plan. Platoni tribuitur:

Τὸν Βρομίου Σάτυρόν με[1]) *τεχνήσατο δαιδαλέη χείρ,*
μούνῃ[2]) *θεσπεσίως πνεῦμα βαλοῦσα λίθῳ.*
εἰμὶ δὲ ταῖς Νύμφαισιν ὁμέψιος· ἀντὶ δὲ τοῦ πρὶν
πορφυρέου μέθυος, λαρὸν ὕδωρ προχέω.
εὔκηλον δ' ἴθυνε φέρων πόδα, μὴ τάχα κοῦρον
κινήσῃς, ἁπαλῷ κώματι θελγόμενον,

et IX, 506. 823. De aliis cuius Platonis habita sint, ambigi potest; fortasse etiam Platonis comici quaedam extabant, sed in his certi quidquam effici nequit. Per nos igitur licet omnia quae ferebantur Platoni philosopho abiudicare epigrammata, quippe quia fraude mala supposita, dummodo stricte secernantur ab eis quae Platoni iuniori, poetae illi Philippico debentur quaeque omnia fere ad artis opera spectant.

Quod diximus ante Alexandri Magni tempora nullum ex-

λος ὡς ὁ Πρίηπος; ipse Dionysus *ὀργίλος* praedicatur in IX, 524, 16, cf. Themist. or. 269 d. Sensus igitur, quem restituere conati sumus, hic est: Diodorus non caelauit Satyrum sed fecit, ut dormiret. Ictu caue ne lacessas eum, nam cum somno grauatus sit expergiscetur iracundus. Infeliciter Nauckius l. l. *ἢν γρύξῃς, ἐγερεῖς· ἄγρυπνον ὕπνον ἔχει.*

1) *με* quod facillime intercidere potuit, iure posuisse nobis uidemur, cum in talibus epigrammatis, ubi statuae loquentes finguntur, id statim initio indicari soleat. cf. Plan. 191. 202. 203. 205. 221. 225. 238. 239. VI, 310. VII, 386. *λοιπῶν γὰρ ἢν ἐρευνήσῃς κράτος, καὶ τὴν Λίβυσσαν ἐξαριθμήσεις κόνιν.*

2) *μούνῃ* Pal. Plan. *κωφῷ* Brunckius nimis pro arbitrio. Lenissima, quam instituimus, mutatione peropportunus sensus nascitur; *μονόλιθοι* enim noti sunt. cf. inscriptionem in basi quadrata marmorea praegrandi ex insula Delo, qualem Boeckhius in corp. inscr. n. 10 repraesentauit:

ταὐτοῦ λίθου εἰμ' ἀνδριὰς καὶ τὸ σφέλας.

βάλλειν eadem ui positum est atque *ἐμβάλλειν* ut in Eur. Phoen. 1534 ed. Nauck. *σκότον ὄμμασι — βαλὼν* et in Plan. 265, 8 *ᾇ μὲν ἐρείδει ψιλὸν γηραιᾷ χειρὶ βαλὼν κρόταφον*, nisi forte hic *λαβὼν* legendum est.

tare epigramma demonstratiuum, quamuis adhuc uerum esse uiderimus, perturbari uidebitur epigrammate quod legitur apud Athenaeum XIII, p. 591a Praxitelis[1]):

Πραξιτέλης ὃν ἔπασχε διηκρίβωσεν ἔρωτα,
ἐξ ἰδίης ἕλκων ἀρχέτυπον κραδίης,
Φρύνῃ μισθὸν ἐμεῖο διδοὺς ἐμέ· φίλτρα δὲ βάλλω
οὐκέτ' ὀϊστεύων, ἀλλ' ἀτενιζόμενος.

Quid enim aliud hoc nisi demonstratiuum genus? cultum igitur iam uetustiore tempore et ab ipsis artificibus in inscriptionibus admissum? Verum enim uero confidentius renitimur. Nam quod Athenaeus narrat Praxitelem epigramma illud in basi insculpsisse Amoris a Phryna *ὑπὸ τὴν σκηνὴν τοῦ θεάτρου* Thespiis positi, id omnem fidem euertit. Ficta epigrammatis auctoritas uel ideo proditur, quod in eo superuacanea commemorantur, necessaria omittuntur; necessarium enim erat dedicationis auctorem rationemque indicare, superuacaneum de artificis dono habituque operis uerba facere. Quid? quod in eo praeter omnem consuetudinem[2])

1) Epigramma quod Plan. 204 extat tanquam Simonidis, uidetur ex periegetae opere aliquo receptum esse in anthologiam. Idem opinamur accidisse omnibus fere quae legebantur in Meleagri corona inscriptionibus.

2) Alia res est, si in epigrammatis funebribus explicantur, quae in tumulis repraesentantur (cuius generis duce Leonida VII, 422 eximius cultor erat Antipater Sidonius VII, 423—427) aut describuntur VII, 730, corp. inscr. I, n. 956. In inscriptione Sinopensi (corp. inscr. III, n. 4158) *στήλη Εὐλάνοιο* laudatur hisce:

δέρκεό μοι, φίλος, ὧδε νοήμονα τέκτονα χαλκοῦ
Ἡφαίστου σοφίης σῶμα μιμησάμενον.

In inscriptione iam supra commemorata (corp. inscr. III. n. 6779) Rufina loquitur de Procli uxoris imagine:

εἴδωλόν τ' ἐθέμην πανόμοιον, σχῆμα τ' ἔθηκα
οἷον ἔχων ῥητῆρσι μετέπρεπες Αὐσονίοισι etc.

In titulo honorario Romani principatus tempore scripto (corp. inscr. III, n. 4377) leguntur haec:

σῆμα δέ, κεἰ τέχνῃ Φρύγιον λίθον ἔργῳ ἐλέγχει
ψεύδεται· ἐκ γαίης τῆςδε πέφυκε λίθος.

ipsius monumenti descriptio quaedam uel de eo iudicium prostat? Nec minuitur difficultas, si ponitur Praxiteles Amori, quem traditurus esset, epigramma illud uelut epistulam amatoriam inscripsisse, idque a Phryna cum iactauerit se principalis artificis familiaritate una cum Amore dedicatum esse. Tum enim omnia alia Praxiteles scripsisset, nec debuit Phryna, qua amati, non quae amantibus gloriata esse uidetur sibi potissimum erigere tam publicum priuatarum rerum monumentum; talem certe ostentationem ciues passi non essent, uixdum enim tunc publica aequalitas discissa erat priuata hominum sese suaque liberius efferentium proteruitate. At omnia amice conspirant, si ponitur epigramma illud ab aliquo poeta Amori inscriptum esse posteriore tempore[1]). Ita diuulgata iam artificis fama quam bene *Πραξιτέλης* nominabatur, qui ab omnibus intellegeretur statim summus statuarius; cum Phrynae ut aliarum meretricium ingenium uitaque literatorum sudorem mouerat, quid magis delectabile quam delicatum tale amoris documentum; cum celebrandis artis operibus praestantissimis dedita opera poetae studium applicabant, quid conuenientius arguta illa Amoris descriptione?

Porro soliuaga quaedam mirae habitudinis epigrammata, quae nonnullorum pictorum feruntur uel de eis agunt, componenda uidentur eodemque pertinentium uersuum quorundam indicia.

I. Cimon (Plan. 84 *ἄδηλον*).

Οὐκ ἀδαὴς ἔγραψε Κίμων τάδε· παντὶ δ' ἐπ' ἔργῳ
μῶμος, ὃν οὐδ' ἥρως Δαίδαλος ἐξέφυγεν.

---

1) Demetrio Magnete auctore Pseudoplutarchus uit. Demosth. p. 287 ed. West. tradit a Demosthene factum esse *τὸ ἐπὶ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ ἐλεγεῖον ἐπιγεγραμμένον ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ὕστερον* hoc:

εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες,
οὔ ποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.

Tumulis nonnunquam posterius inscriptiones dabantur; quod paucis exemplis docuit Heckerus p. 44. 45.

II. Iphion IX, 757 *ἄδηλον*, in Plan. Simonidis.

Ἰφίων τόδ'[1] *ἔγραψε Κορίνθιος· οὐκ ἔνι*[2] *μῶμος*[3]
χερσίν, ἐπεὶ δόξας ἔργα πολὺ προφέρει.

III. Apollodorvs (Hephaest. de metr. 4, 7).

Οὗτος δή σοι ὁ κλεινὸς ἀν' Ἑλλάδα πᾶσαν Ἀπολλο-[4]
δῶρος· γινώσκεις τοὔνομα τοῦτο κλύων.[5]

---

1) *τάδ'*? ut in reliquis.

2) *ἔπι* Bergkius poet. lyr. p. 920.

3) Celebri illi locutioni: *μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται*, quae a Plutarcho de glor. Athen. 2 p. 346 a et Hesychio s. u. *σκιαγραφίαν* Apollodoro, a Plinio 35, 63 Zeuxidi tribuitur archetypus uidentur fuisse Theognidis uersus 369 et 370:

μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί·
μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

Utitur ea Varro apud Nonnium Marcellum I, p. 17 a ed. Gerl. et Roth.; extat etiam paroem. graec. ed. Leutsch. I, p. 281 apud Diogenianum, II, p. 189 apud Macarium, p. 123 apud Gregorium Cyprium, p. 540 apud Apostolium. Simonidis Amorgini dicterium habes apud Stobaeum flor. 105, 7 (Bergk. lyr. p. 577 fr. 4): *πάμπαν δ' ἄμωμος οὔτις οὐδ' ἀκήριος.* De Crono Callimachus in epigr. fragm. 65 Meinek.:

αὐτὸς ὁ Μῶμος
ἔγραφεν ἐν τοίχοις 'ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός',

quod ni fallimur obuersabatur incerto auctori epigrammatis Plan. 262, cum diceret eadem in sede hexametri:

αὐτὸς ὁ Μῶμος
φθέγξεται· ἄκρητος Ζεῦ, πάτερ, ἡ σοφίη.

In epigrammate Plan. 7 Alcaeus Messenius: *μοῦνος (Δωρόθεος) Μώμου λαιψηρὰς ἐξέφυγε πτέρυγας.* Dionys. Perieg. u. 341: *οὐκ ἂν ἐκεῖνο Ἶδρις μωμήσαιτο σοφῆς ὑποεργὸς Ἀθήνης.* Illustris quidam pictor (Apelles? in epigrammate Plan. 265 post uersum secundum lacuna statuenda esse nobis uidetur) *Μώμου ἄγαλμα* fecerat, senis in terram proiecti, dentibus nudatis frendentis cf. Plan. 265. 266. Alia nonnulla uide apud Welckerum alte Denkm. 3, p. 255; ab eodem dissidemus, qui adulescentem illum in imagine, quam exhibuit tab. XVII, 2, Momum esse uoluit.

4) Eodem modo atque hic factum uidemus, Simonides Aristogitonis nomen inter hexametrum et pentametrum diuisit in epigram-

Plin. 35, 62: in eum (Zeuxim) Apollodorus supra scriptus uersum fecit, artem ipsis ablatam Zeuxim ferre secum.

IV. Zevxis (Aristid. 2, 521).

Ἡράκλεια πατρίς, Ζεῦξις δ' ὄνομ'. εἰ δέ τις ἀνδρῶν
ἡμετέρης τέχνης πείρατά φησιν ἔχειν,
δείξας νικάτω . . . .
. . . . . . δοκῶ δ' ἡμᾶς οὐχὶ τὰ δεύτερ' ἔχειν.

Nec dubitatur ex uersibus petita esse Zeuxidis, ut putamus, habitis haec Plini 35, 61 uerba:

Ab hoc (Apollodoro) artis fores apertas Zeuxis Heracleotes intrauit.

---

mate quod idem Hephaestio l. l. affert (cf. Bergk. lyr. p. 912 fr. 134). Alio temperamento usus est Meleager, qui in prooemi uersu 44 Hermodori nomen sic produxit: ὑμνοθέταν, Ἑρμοῦ δῶρον ἀειδόμενον. Confinem modum Appollodori nominis versui elegiaco adaptandi habes in inscriptione edita in corp. inscr. III, n. 6012 b:

μυστιπόλος τελέθων τοῦτον συνθήκατο βωμὸν
δῶρον Ἀπόλλωνος θεῖον ἔχων ἐπίκλην.

Quod contra simili in caussa auctor inscriptionis funebris exhibitae in corp. inscr. III, n. 6091 subiunxit amabili profecto cum simplicitate uersibus elegiacis haece:

καὶ δὴ καλεύμην Ταξιάρχης ἐν βροτοῖς.
οὐ γὰρ ἐν ἑξαμέτροις ἥρμοσε τοὔνομ' ἐμόν.

Saepius autem poetae propter nominis alicuius incommodum mutauerunt metrum aut deflexerunt. Apud Simonidem quae huc faciunt exempla conposuit Schneidewinus Simon. rel. p. 138. Eandem licentiam sibi concessit in Alcibiadis nomine Critias (Hephaest. de metr. 2, 5), quem poetam Meinekius anal. Alex. p. 261 arbitratur secutum esse Parthenium Nicaenum, cum ἐν τῷ ἐπικηδείῳ εἰς Ἀρχελαΐδα uersibus elegiacis trimetrum immisceret. Incommodum nomen omnino omisit Lucilius satur. libr. VII, fragm. 3 ed. Gerl. et Roth.: Seruorum est festus dies hic, Quem plane hexametro uersu non dicere possis, quod Horatium in satir. 1, 5, 87 imitatum esse scholiasta Crucquianus ibidem indicat. Consimili difficultate instigatus luxuriauit Ouidius, cum ep. ex Pont. IV, 12 de Tuticani nominis metro duodeviginti uersus effunderet. cf. Horat. Sat. 2, 1, 17. Virg. Aen. 6, 843.

5) Heckerus l. l. p. 16 pro uera inscriptione habet epigramma illud, uide tamen eundem p. 18.

V. Parrhasius (Athen. XII, p. 543 c f).

Ἀβροδίαιτος ἀνὴρ ἀρετήν τε σέβων τάδ' ἔγραψα[1])
Παῤῥάσιος, κλεινῆς πατρίδος ἐξ Ἐφέσου.
οὐδὲ πατρὸς λιπόμην[2]) Εὐήνορος, ὅς ῥα μ' ἔφυσε[3])
γνήσιον, Ἑλλήνων πρῶτα φέροντα τέχνης.[4])
Εἰ καὶ ἄπιστα κλύουσι, λέγω τάδε· φημὶ γὰρ ἤδη
τέχνης εὑρῆσθαι τέρματα τῆσδε σαφῆ
χειρὸς ὑφ' ἡμετέρης· ἀνυπέρβλητος δὲ πέπηγεν
οὖρος· ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἔγεντο βροτοῖς.
. . . .
. . . .
οἷος δ' ἐννύχιος[5]) φαντάζετο πολλάκι φοιτῶν
Παῤῥασίῳ δι' ὕπνου, τοῖος ὅδ' ἐστὶν ὁρᾶν[6]).

Plin. 35, 71: Fecundus artifex (Parrhasius), sed quo nemo insolentius usus sit gloria artis, namque et cognomina usurpauit habrodiaetum se adpellando aliisque uersibus principem artis et eam ab se consummatam, super omnia Apollinis se radice ortum et Herculem, qui est Lindi, talem a se pictum, qualem saepe in quiete uidisset.

---

1) **ἔγραψεν** uulgo, quod Heckerus p. 126 male tuetur; **ἔγραψα** Jahnius, deinde Meinekius.

2) Sic scribendum esse sibi uideri mecum communicauit Jahnius. **λαθόμην** uulgo.

3) Sic Meinekius. **ὅς μ' ἀνέφυσε** Jahnius. **ὅς νιν ἔφυσε** uulgo.

4) Octo uersuum, qui in duas partes diuisi ut duo epigrammata edebantur, unum tenorem esse Jahnius perspexit. Quamquam iam Plinius nouit illos ut duo epigrammata, quod liquet ex eius uerbis: namque et cognomina usurpauit habrodiaetum se adpellando a l i i s q u e uersibus principem artis et eam ab se consummatam.

5) Sic Cobetus. **ἐννύχιον** uulgo.

6) Versuum tenor continuandus est; in eis, quae perierunt nihil aliud erat, quam quae Plinius, qui totum epigramma ordine reddit, s u o loco dicit 35, 71: „super omnia Apollinis se radice ortum et Herculem"; sic in fine carminis redit poeta ad id quod initio indicatum est: **τάδ' ἔγραψα**. — Quod ad Herculis speciem per somnum oblatam cf. Sullae epigramma dedicatorium apud Appianum de bell. ciu. I, c. 97 (Append. 91).

Talia primo aspectu liquet ab ipsis auctoribus qui dicuntur in tabulis scribi non potuisse. Etenim omnia paene ad res tendunt diuersas ab eis, in quibus suapte natura tituli sese continent. Licet unum epigramma: *οἷος δ' ἐννύχιος κ. τ. λ.* Jahnius (Berichte der sächs. Ges. der Wiss. 1856, p. 286) et Heckerus (comm. de anth. p. 22) quominus tabulae pictae inscriptionem fuisse reamur, dummodo distichon aliquod, ad quod *οἷος δ'* uerbis respiciatur, intercidisse ponatur, nihil prohibere asseuerant. Sed utut certum est quaedam periisse: cum funditus diuersa sint quae similia diem tulere, illud nobis quidem prorsus dubiosum uidetur, num Parrhasius praeter omnem morem in imagine sic ausus sit gloriationi indulgere. Quid uero, quod uersus illi, ut p. 29, n. 6 indicauimus, cum reliquis, quae Parrhasi feruntur, eodem unius carminis uinculo aperte connectuntur?

Accuratius autem illa examinantes aliunde nata miratio defigit: omnia in illis arctissime inter se cohaerent; ipsi de semet ipsis artifices iudicant ita, ut omnia iudicia quasi una forma percussa uideantur: Cimon picturae uituperatori sese excusat; Iphion Cimonem tecte cauillans picturam suam superare profitetur omnia inuidiae obiectamenta; Apollodorus artem ipsis (i. e. sibi sociisque suis) ablatam Zeuxim ferre secum modeste queritur, gloriatur Zeuxis ab Apollodoro artis fores apertas ipsum intrasse; Parrhasius primas in arte sese detulisse praedicat, respondet Zeuxis nullo sese inferiorem sibi uideri.

Haec Jahnius cum considerasset, temperi notabilium illorum certaminum memor, quae inter pictores quosdam intercessisse Plinius auctor est, ingeniose coniecit, omnia[1]) illa epigrammata esse residua unius ab uno poeta confecti carminis, in quo diuersi pictores ad fictum certamen coniuncti de se iudicia fecissent, et quidem Nicomachi (pictoris scilicet)

---

1) Omnia, quae supra coniunximus, composuit Jahnius l. l., praeterquam quod quae sub I et II leguntur epigrammata a nobis addita sunt.

περὶ ζωγράφων elegiae, e qua Hephaestio Apollodori illud supra exscriptum laudaret; quae elegia cum iam ab historicis quibusdam excerpta esset, facile factum esse, ut diuersa illa membra pro ipsorum artificum poematis haberentur et ita in id de pictura compendium uenirent, ex quo Plinius, Athenaeus, Aristides hausisse sua uiderentur.

Attamen speciosae coniecturae quaedam obstant. Namque ut missum faciamus ab Hephaestione non dilucide ex Nicomachi elegia Apollodori uersus illos afferri, dicit enim de metr. 4, 7 *καὶ πάλιν Νικομάχου τοῦ τὴν περὶ ζωγράφων ἐλεγείαν πεποιηκότος· οὗτος δή σοι κ. τ. λ.* —, ex eis certe, quae restant, non liquet, qui in elegia illa pictores conducti qualia Plinius narrat certamina inierint; nec facilius dispicitur, quemadmodum membrorum illorum quamuis laceratorum unitas et origo prorsus obliterari potuerit. Pictorem tandem Nicomachum elegiae auctorem fuisse ne censeamus, et aetas eius dissuadet et quod Plinius qui (cf. Briegerum de fontibus librorum 33—36 n. h. Plin. p. 33) nusquam silentio praeterit, si quis artifex de sua arte scripsit, nullam, ubi de Nicomacho pictore disserit, elegiae mentionem inicit[1]).

Sed incertum esto, num uersus illi uno eiusdem elegiae tenore contenti fuerint (uide Heckerum p. 18); incertum, cuius fuerit elegia, et an certaminum talium qualia apud Plinium narrantur celebratio; illud omni dubitatione uacat uersus illos non eorum esse, quibus hodie tribuuntur, sed unius poetae recentiore aetate pictorum nobilitates illuminate describentis[2]). Nam alias quoque poetae insignium uirorum quasi imagines

---

1) Nicomachum quendam poetam Simmiae Rhodi aequalem fuisse colligimus ex epigrammate VI, 113, cui eidem fortasse debetur epigramma VII, 299, quod in Meleagri corona fuit, cf. Weigandium p. 178.

2) Ad simile aut carmen aut epigrammatum seriem pertinuisse uidetur, quod Plinius 36, 12 tradit Bupalum et Athenidem operibus subscripsisse carmen non uitibus tantum censeri Chion sed et operibus Archermi filiorum. Non insolita talis laus patriae. Ita Dionysius

excitabant ita, ut eos aut ipsos de se loquentes producerent aut alio quopiam modo communiter adumbrarent. Sic Artemidoro grammatico, qui ἄθροισιν bucolicorum poetarum epigrammate IX, 203 celebrauit, epigramma IX, 434 tribuitur (uide Jacobsium tom. VII, p. 109, Haulerum de Theocrit. uita et carm. p. 59), in quo Theocritus de se uerba facit, quod uide quam simile sit eis, quae supra proposuimus:

Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρακοσίων,
υἱὸς Πραξαγόραο, περικλειτῆς τε Φιλίννης·
Μοῦσαν δ' ὀθνείαν οὔ τιν' ἐφειλκυσάμαν.

Huc etiam trahere audemus uersus hosce, quos a Duride tradi *ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν Ὥρων ἐπιγεγράφθαι αὐτῷ* Pherecydi Diogenes Laertius (I, 11, 7) auctor est:

Τῆς σοφίης πάσης ἐν ἐμοὶ τέλος· ἢν δέ τι πάσχω,
Πυθαγόρῃ τὠμῷ λέγε ταῦθ', ὅτι πρῶτος ἁπάντων
ἐστὶν ἀν' Ἑλλάδα γῆν. οὐ ψεύδομαι ὧδ' ἀγορεύων.

Neque hic silendum est Thespidem Aeschylumque a Dioscoride duobus epigrammatis VII, 410. 411 celebratos esse eaque sibi inuicem respondere, si quid sapimus, ut particulas deperditi cuiusdam de poetis tragicis cycli. Nec minus dubitamus, quin eiusdem Dioscoridis de Sophoclis et Sosithei tumulis epigrammata VII, 37. 707 ficta sint et ex aliqua epigrammatum serie petita.[1]) Tales eigrammatum series haud paucae

---

architectus *Τμώλου ἀπ' ἀμπελόεντος* in inscriptione funebri edita in corp. inscr. III, n. 4286 praedicatur, ex qua Brunnius II, p. 337 et 355 finxit Dionysium Trallianum.

1) Hoc uel inde patuerit, quod alterum VII, 707 **καὶ** uoce incipit mire usurpata. Quodsi epigrammata, quorum initium καὶ est, perlustrauerimus, ab initio segreganda erunt aut manca aut exordio corrupta. Sic in epigrammate Plan. 263:

Καί με λίθον Πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τρόπαιον
στήσονται νίκας· εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις.
ἀμφοτέροις δ' ἕστηκα, καὶ Ἑλλήνεσσι τρόπαιον
νίκας, καὶ Πέρσαις τοῦ πολέμου νέμεσις.

νῦν illud demonstrat primum uersum incepisse: **πρίν με**, quod ana-

olim fuisse uidentur. Callimachum quidem libris bibliothecae Alexandrinae epigrammata inscripsisse ingeniosa coniectura

---

logis exemplis confirmatur IX, 325. Plan. 364. VII, 138. 213, ab omni insuper dubitatione defenditur Ausoni auctoritate, qui epigramma illud sic reddidit (ep. 21):

Me lapidem quondam Persae aduexere, tropaeum
ut fierem bello: nunc ego sum Nemesis.
At (ac?) sicut Graecis uictoribus adsto tropaeum:
punio sic Persas uaniloquos Nemesis.

Grauius corruptum est initium epigrammatis IX, 211. Tam desperato illi quam pusillo de Venere armata epigrammati Plan. 175 ulcus subesse uidemus, etsi ignoramus quale ubi. Integrum esse epigramma de Theagene apud Athenaeum X, p. 412 e Heynius comment. Gott. X, p. 103 et Iacobsius tom. VIII, p. 148 iure negauerunt. Item deesse aliquid uidetur epigrammati IX, 818, ali apud Pausaniam 5, 20, 7, de quo uide Heckerum p. 44. Versus VII, 120 esse elegiae fragmentum docet ipse Diogenes Laertius, apud quem VIII, 1, 20 leguntur. — Neque ullam offensionem *καὶ* initiale mouet, ubi cum *καὶ* quodam sequente arcte coniungitur, quod fit in I, 81. V, 50. 120. 168. VI, 152. VII, 140. 414. 506. 533. IX, 58. 274. 353. 431. 552. 641. XI, 19. 207. Plan. 199 aut ubi exaggerandi ui ut nostrum „auch" ita ponitur, ut facile intellegatur, ad quod respiciatur, quod fit in I, 9. V, 119. VI, 146. VII, 287. 319. 357. 633. VIII, 196. 251. IX, 75. 182. 183. 197. 213. 271. 419. 546. 727. X, 49, 83. XI, 66, 209. XII, 113. 219. XIV, 54. Plan. 32. 176. 252. Interdum aegre dispicitur quoi *καὶ* initiali respiciatur. Sic epigrammatis XV, 14 initium: *καὶ τί γε σῆμα* ab eo solo plene intellegitur, qui tenet *ἀντίγραφον* id esse ad id quod proxime antecedit; item epigrammatis de Parrhasi Philocteta Plan. 111 prima haece uerba perperam a Iacobsio tentata:

καὶ τὸν ἀπὸ Τρηχῖνος ἰδὼν πολυώδυνον ἥρω
τόνδε Φιλοκτήτην ἔγραφε Παρράσιος,

illuminantur epigrammate illo antiquitus multum noto: *οἷος δ' ἐννύχιος φαντάζετο κ. τ. λ.* quod supra in p. 29 proposuimus. — Aliter res se habet in initiis epigrammatum VII, 57. 105. 123. 130 (etiam VII, 132) ex Diogenis Laerti Pammetro sumtorum, cf. p. 35; opus enim illud Diogenis quamuis distinctis partibus continebatur uno uinculo eodemque particulatim saltem expresso. — Ac nunc uide quid faciendum sit epigrammatis hisce funebribus VII, 263. 389. 497. VIII, 154. 164. Ibi *καὶ* illud aliter expedire nequimus, nisi ut statuamus particulas indicari maioris quondam complexus cuiusdam aut conplurium

est Welckeri ep. cycl. uol. I, p. 8 n. 8 proposita a Ritschelio „die alexandrinischen Bibliotheken" sqq. p. 20 et a C. Wachsmuthio in Philologi tomo XVI, p. 654 comprobata. Varronem imaginibus suis epigrammata indidisse scimus. Atque Heckerus p. 17. 18 ualde probabiliter coniecit, in mirabilia illa animalia, quae Alexandriae Ptolemaeus secundus conduxit, ab Archelao Chersonesita epigrammata scripta posteaque in unum uolumen coniuncta esse, quo usi essent historiae naturalis scrutatores. Ita Casaubonus ad Athenaeum XI, 13, p. 817 Hedylum suspicatus est epigrammatis donaria descripsisse, quae in Arsinoes templo uisa essent, propter initium epigrammatis apud Athenaeum XI, p. 497 d e *ζωροπόται, καὶ τοῦτο φιλοζεφύρου κ. τ. λ.*, ubi Meinekius nescio quo iure dederit *ναὶ τοῦτο*. Incerti auctoris habes epigrammatum cyclum IX, 505 de nouem Musarum imaginibus. Notus quoque Aristotelis peplus de heroum epitaphiis. Ex unius poetae officina profecta sunt epigrammata illa uersuum numero metroque atque toto habitu sibi simillima, quae Diogenes Laertius tumulis Musaei et Lini (I, 1, 3), Orphei (I, 1, 4), Thaletis (I, 1, 12), Pittaci (I, 4, 6), Biantis (I, 5, 4), Cleobuli (I, 6, 5), Periandri (I, 7, 3), Anaxagorae (II, 3, 10), item quae imaginibus Thaletis (I, 1, 8), Solonis (I, 2, 15), Chilonis (I, 3, 5) inscripta fuisse dicit. Quorum epigrammatum unum de Thaletis imagine cum idem e Lobonis Argiui (I, 1, 8 et 9. I, 10, 6) libro *περὶ ποιητῶν* hauserit, nihil profecto impedit, quominus reliqua indidem fluxisse credamus (cf. Schneidewinum „Beiträge zur Kritik der Poet. Lyr." etc. p. 117, Leutschium in Philol. 1, p. 132, Mülleri fragm. hist. III, p. 27). Quare ut fecit Jahnius in Sophoclis Electrae editione p. 11 prorsus probanda est Bergki coniectura, etsi ab ipso antiquata in lyr. p. 484, qui in Sophoclis uita (Westerm. p. 131) sic

---

etiam. Dignum enim notatu est, non uideri extare inscriptionem, in qua *καὶ* ordiatur. Sero uidi eandem fere sententiam de Dioscoridis epigrammatis illis a Jahnio doceri solere in scholis, quas habet ille de Graeci dramatis historia.

scribi uoluit: *Λόβων* (*λαβὼν* codd.) *δέ φησιν ἐπιγεγράφθαι τῷ αὐτοῦ τάφῳ τάδε·*

κρύπτω τῷδε τάφῳ Σοφοκλῆ πρωτεῖα λαβόντα
τῇ τραγικῇ τέχνῃ σχῆμα τὸ σεμνότατον.

Hoc enim epigrammate nihil similius illis apud Diogenem. Ac certo quodam consilio confecta epigrammatum collectio erat Diogenis Laerti Pammetrus, de qua cum Iacobsium in praefatione delectus epigrammatum p. XIII uideamus falsam persuasionem sibi induisse, eamque a Weigandio in musei Rhenani tomo III, p. 558 teneri, quid statuendum sit, paucis enucleabimus. Primo quidem loco ubi Diogenes Laertius in uitis philosophorum epigramma e sua penu profert I, 1, 12, praefatur haece: *ἔστι καὶ ἡμῶν εἰς αὐτὸν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἐπιγραμμάτων ἢ παμμέτρῳ.* Secundo loco ubi fetum a se partum producit I, 2, 15, eum commendat hisce: *ἔστι δὲ καὶ ἡμέτερον ἐπίγραμμα ἐν τῇ προειρημένῃ παμμέτρῳ, ἔνθα καὶ περὶ πάντων τῶν τελευτησάντων ἐλλογίμων διείλεγμαι παντὶ μέτρῳ καὶ ῥυθμῷ, ἐπιγράμμασι καὶ μέλεσιν.* Porro epigrammata sua simpliciter profert, nonnunquam tamen ea *ἐν τῇ παμμέτρῳ* fuisse indicat, cf. VII, 1, 26. VIII, 2, 11. IX, 7, 11; alios epigrammatum libros non laudat, sed excitat hic illic aliorum poetarum in philosophos epigrammata. Pammetrus igitur illa erat primus liber epigrammatum collectionis a Diogene Laertio institutae, quo sola quae ipse conscripserat continebantur. In reliquis libris, ut iure suspicari nobis uidemur, inerant aliorum poetarum epigrammata neque ulla ipsius Diogenis. In hac uero Pammetro et alia epigrammata inerant et quae in uarias, de quibus singulare quid ferebatur, philosophorum mortes facta erant epigrammatum cyclus (cf. II, 7, 14; III, 30; VII, 1, 26; VIII, 1, 23), e quo plurima sunt eorum, quae Diogenes Laertius affert.

Iam uero primo nobis offeruntur epigrammata demonstratiua et quidem quattuor Nossidis Lockensis in quattuor mulierum imagines (cf. Erinnae epigramma, de quo disputauimus p. 6) haece:

VI, 353. *Αὐτομέλιννα τέτυκται· ἴδ' ὡς ἀγανὸν τὸ πρόσωπον*
ἀμὲ ποτοπτάζειν μειλιχίως δοκέει·
ὡς ἐτύμως θυγάτηρ τᾷ ματέρι πάντα ποτῴκει.
ἦ καλὸν ὅκκα πέλῃ τέκνα γονεῦσιν ἴσα.

VI, 354. *Γνωτὰ καὶ τηνῶθε Σαβαιθίδος εἴδεται ἔμμεν*
ἅδ' εἰκὼν μορφᾷ καὶ μεγαλοφροσύνᾳ[1]).
θάεο τὰν πινυτάν, τὸ δὲ μείλιχον αὐτόθι τήνας
ἔλπομ' ὁρῆν. χαίροις πολλὰ μάκαιρα γύναι.

IX, 604. *Θαυμαρέτας μορφὰν ὁ πίναξ ἔχει. εὖ γε τὸ γαῦρον*[2])
τεῦξε τό θ' ὡραῖον τᾶς ἀγανοβλεφάρου.
σαίνοι κέν σ' ἐσιδοῖσα καὶ οἰκοφύλαξ σκυλάκαινα[3])
δέσποιναν μελάθρων οἰομένα ποθορῆν.

IX, 605. *Τὸν πίνακα ξανθᾶς Καλλὼ*[4]) *δόμον εἰς Ἀφροδίτας*
εἰκόνα γραψαμένα πάντ' ἀνέθηκεν ἴσαν.

---

1) *μελιχροφροσύνᾳ* aut *μετριοφροσύνᾳ* Heckerus p. 178.

2) *φαιδρὸν* Heckerus p. 179.

3) Et hic ad aperiendam imaginis ueritatem adhibetur error ani malis imaginem intuentis. Vteunque enim iure Jahnius, ubi egit de equis soli Apellis equo picto adhinnientibus (Ber. der sächs. Ges. der Wiss. 1856 p. 290), professus est: „dass der Gesichtspunkt der materiellsten Illusion — unter einem kunstgebildeten Volk unmöglich massgebend sein konnte", tamen non modo non spernebant, immo adamabant Graeci ascitis animalium iudiciis operum ueritatem testari. Eadem atque in hoc Nossidis epigrammate sententia in Myronis buculam adaptatur epigrammate IX, 733. De huius operis varia celebratione taceamus. Sed huc pertinent fabellae illae, quarum mentio fit apud Athenaeum XIII, p. 605 e f: *τῇ τε γὰρ περὶ τὴν Πειρήνην χαλκῇ βοὶ βοῦς ἀνέβη, καὶ γεγραμμένῃ κυνὶ καὶ περιστερᾷ καὶ χηνί, τῇ μὲν κύων τῇ δὲ περιστερὰ τῇ δὲ χὴν προσῆλθον καὶ ἐπεπήδησαν, φανέντων δὲ πᾶσι τούτοις ἀδυνάτων ἀπέστησαν, καθάπερ Κλείσοφος ὁ Σηλυμβριανός.* Zeuxidis uuis pictis aues aduolasse fingebantur (Plin. 35, 66), quam fabellam in suum usum uertit Spiridion, cum Parrhasi Prometheo uulturios aduolantes faceret (cf. Senec. Rhet. ed. Burs. p. 355 u. 5). cf. IX, 761 incerti auctoris:

μικροῦ κατέσχον τὸν βότρυν τοῖς δακτύλοις,
ὑπεραπατηθεὶς τῇ θέᾳ τῶν χρωμάτων.

4) Callonem pinxisse error est Brunni II, p. 261, natus ex Iacobsi interpretatione dubitanter proposita. cf. Meineki delect. p. 96.

ὡς ἀγανῶς ἕστακεν· ἴδ' ἁ χάρις ἁλίκον ἀνθεῖ.
χαιρέτω· οὔ τινα γὰρ μέμψιν ἔχει βιοτᾶς.

In omnibus his epigrammatis idem argumentum uariatur natiua cum simplicitate ita, ut, quamuis conspectis tabulis excitata fuerint, nec in usum imaginum scripta esse nec inscriptionum speciem mentiri appareant.

Anyta unde fuerit nullum indicium extat in anthologia nisi quod ad epigramma funebre VII, 492, in quo tres puellae Milesiae Gallis Asiam (Ol. 125, 2) ingressis sibi ipsae mortem consciuisse praedicantur, Anyta Mitylenaea perhibetur. Hoc epigramma uera erat in uirginum illarum calamitatem facta inscriptio, ceterum reliquis, quae Anytae tribuuntur, epigrammatis colore simillima. Iam aliunde Anytam fuisse audimus Tegeatidem, quocum conueniunt, quae Pausanias 10, 38, 13 de Anyta prodit, et quae ex ipsis Anytae poematiis, ut ostendetur, elici licet indicia. Cum Meleager autem in coronae prooemio unam Anytam nominet, Antipater Thessalonicensis unam nouisse uideatur, unam certe recensuerit in poetriarum canone IX, 26, quid uerisimilius, quam ex librari errore Anytae Mitylenaeae mentionem natam esse, unam igitur Anytam fuisse et quidem post Alexandri Magni tempora uixisse Tegeae? His certe temporibus uixerunt (cf. Plin. 34, 51) Cephisodotus et Euthycrates, quos Tatianus adu. Gr. p. 52B ed. Otto. Anytae statuam fecisse tradit. Atque in epigrammate VII, 538:

Μάνης δοῦλος[1]) ἀνὴρ ἦν ζῶν ποτέ· νῦν δὲ τεθνηκὼς
ἶσον Δαρείῳ τῷ μεγάλῳ δύναται,

Darium Codomannum dici putaueris Ol. 112, 3 cum Alexandrum fugeret, repente interfectum. — Fecit autem Anyta plures inscriptiones quam epigrammata demonstratiua[2]). Illis adnumeranda est perfecta in suo genere inscriptio VI, 153:

---

1) οὗτος Pal. Strenua oppositio flagitatur, quam simplex *Μάνης* nomen, saepius, non semper de seruis dictum, praebere nequit.

2) Versus Anytae VII, 646 hice:

Βουχανδὴς ὁ λέβης, ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπίδα υἱός,
Κλεύβοτος· ἁ πάτρα δ' εὐρύχορος Τεγέα·
τἀθάνᾳ δὲ τὸ δῶρον· Ἀριστοτέλης δ' ἐπόησεν
Κλειτόριος γενέτᾳ ταὐτὸ λαχὼν ὄνομα.

Inscriptionem hanc IX, 144 (cf. simile initium inscriptionis in Welckeri sylloge p. 80 *ἱερὸς οὗτος ὁ χῶρος κ. τ. λ.*):

Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος, ἐπεὶ[1]) *φίλον ἔπλετο τήνᾳ*
αἰὲν ἀπ' ἠπείρου λαμπρὸν ὁρῆν πέλαγος,
ὄφρα φίλον ναύτῃσι τελῇ πλόον· ἀμφὶ δὲ πόντος
δειμαίνει λιπαρὸν δερκόμενος ξόανον,

etsi coniecturae memores referre audemus ad Veneris statuam acrolitham (*λιπαρὸν ξόανον*), quam Patris *ἐν τεμένει Ἀφροδίτης* (*Κύπριδος οὗτος ὁ χῶρος*) prope mare (*ἀμφὶ δὲ πόντος*) fuisse Pausanias tradit 7, 21, 10. Atque epigrammati IX, 314:

Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕστακα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα
ἐν τριόδοις πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος,
ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων[2]) *ἄμπαυσιν ὁδοῖο·*
ψυχρὸν δ' ἀχραὲς κράνα ὑποπροχέει[3]),

Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα
εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·
ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει
ἤδη ἀποφθιμένης κυάνεον θάνατος.

Meinekio (del. p. 99) elegiae fragmentum, Schneidewino (Simon. p. 88) ex Simonidis elegia, quam putat VII, 647, expressi esse uidentur. Nec uero est elegiae fragmentum, nec ex hoc poematio expressum, quod Simmiae, non Simonidis esse Bergkius uidit (cf. quae alia idem disputauit lyr. p. 918 n. 119). Et Anytae epigramma illud non imitationem esse, sed Simmiae illi epigrammati exemplar fuisse, si non praeoccupatus accesseris ad contemplationem, facile perspexeris. Multo maiore cum iure poema illud VII, 490 *Παρθένον Ἀντιβίαν κατοδύρομαι* uel propter ipsam hanc initi formam elegiae fragmentum esse censeri potest.

1) *ὀπεῦ* Heckerus p. 118.

2) *ἔχοντ'*? *ἔχω* pro *παρέχω* ut in Plan. 87, 2 et alibi saepius cf. Iacobsium ad epigramma 304 in appendice.

3) Vt fontes non solum aedificiis, uerum etiam statuis decorarentur, id quam moris fuerit peruulgatum est; attigit hoc E. Curtius

securi admouemus locum Pausaniae (2, 38, 7) ubi Hermae commemorantur positi in monte Parnone (ἠνεμόεντα et ἀνδράσι κεκμηῶσιν), in confinio trium terrarum (τριόδοις), Lacedaemoniorum, Argiuorum, Tegeatarum, ad Tanai fluminis caput (ἀϊόνος — κράνα). In epigrammatis Plan. 291. 231 conspicua est Panis celebratio, cuius prope Tegeam Pausanias (8, 53, 11) aram atque sacra (8, 54, 4. 8, 54, 5) uidit. Quid autem iudicandum sit de epigrammate VI, 312:

Ἡνία δή τοι παῖδες ἔνι, τράγε, φοινικόεντα
θέντες καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,
ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς νήπια τερπομένους,

nos ignorare fatemur. Num id picturam quandam illustrauit? An lusus erat Anytae excitatus uero puerorum in hircis sedentium ludo? Si hoc uerisimilius, coniecturam Iacobsi (tom.

---

comment. Gotting. 1859 p. 179 „über griech. Quell- und Brunnen-Inschriften", Heckerus p. 82 sequ. Idem Pausanias 10, 12, 6 memorat Mercurium λίθου τετράγωνον σχῆμα, ex cuius laeua manu aqua prosiliebat (cf. IX, 826. 827. corp. inscr. III n. 4380 m). Si uere autem ad Hermarum illorum locum Anytae epigramma retulimus, id credendum est in eorum aliquo insculptum fuisse. Varios enim in usus Hermae inscriptionibus metricis instruebantur. Hipparchus (Plat. Hipp. p. 228 D) posuit Hermas inscriptionibus ornatas (cf. Welck. Syll. p. 153, Eustath. ad Il. Ω, 333 p. 1353, 8) κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐν μέσῳ τοῦ ἄστεος καὶ τῶν δήμων ἑκάστων. Hermis incisae erant inscriptiones in eorum laudem, qui Cimone duce Medos ad Strymonem deuicerant (Aesch. c. Ctes. § 184 cf. A. Westerm. de publ. Atheniens. honoribus ac praemiis p. 26). Loci amoeni index exhibetur Hermes in Plan. 237 (secundum Schneidewini in progymn. p. 18 prolatam coniecturam), Plan. 11, alibi; ἀφετήριον ἕρμα IX, 319; palaestrae eiusque magistri index VI, 143; de luco quodam et bibliotheca loquitur inscriptio Hermae in museo Chiaramonti asseruata corp inscr. III n. 6186. Tacemus uersus illos in Hermis Menandri (corp. inscr. III n. 6083), Miltiadis (ib. n. 6088), Homeri (ib. n. 6092). In uilla Negronis est cum uersibus Hermes, qui olim in tumulo nominum indicio inseruiebat. Καὶ ἔστι, sic Plato l. l. καὶ ἄλλα ἐν ἄλλοις Ἑρμαῖς πολλὰ καὶ καλὰ ἐπιγράμματα. Ad eundem Hermarum locum spectat fortasse Anytae epigramma IX, 313, idem Plan. 228.

VI, p. 424), qui de ludo apud Mineruam Hippiam Tegeae cogitabat, eo fulcimus, quod a Pausania (8, 47, 4) commemoratur *στάδιον* situm in uicinia templi Mineruae, quod Tegeae erat. Plane demonstratiuo colore nitet IX, 745 *Θάεο τὸν Βρομίου κ. τ. λ.*, cuius lemmati *εἰς τράγον χαλκοῦν* cur Iacobsius (tom. VI, p. 428) renisus sit, non intellegimus, uide Leonidae Tarentini epigramma IX, 744. Meri lusus etsi peculiaris gratiae censenda sunt epigrammata VII, 202. 215 hoc in delphinum, illud in gallum.

Philetae Coi epigramma ab interpretibus (cf. reliquias Philetae Coi a Bachio collectas p. 58) docto silentio cultum, non integrum quidem apud Athenaeum XV, p. 678a:

ἕστηκ' ἀμφὶ κόμας εὐώδεας ἀγχόθι πατρὸς
καλὸν ἰακχαῖον θηκαμένη στέφανον,

fortasse ad artis monumentum quoddam spectat. Non Coi, sed Philetae Sami VI, 210, VII, 481 esse Iacobsius in cat. p. 934 intellexit. Vtrumque cum legatur in coronae Meleagri partibus, Philetas Samius, quod fugit Bachium p. 19, *ἔρνεσι νεογράφοις* adscribendus est.

Archelai epigramma Plan. 120 agit de Alexandri imagine a Lysippo ex aere fusa hoce:

Τόλμαν Ἀλεξάνδρου καὶ ὅλαν ἀπεμάξατο μορφὰν
Λύσιππος — —[1]) *χαλκὸς ἔχει δύναμιν·*
αὐδασοῦντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος ἐς Δία λεύσσων·
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι· Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.

Moeronis Byzantiae duo extant epigrammata VI, 119. 189. Illud aperte in parte coronae Meleagri, fortasse etiam hoc, quo Nymphis *ξόανα* dedicantur, si quidem literarum ordo retrouersus agnosci potest in initiis epigrammatum VI, 187

1) Pal. hanc lacunam habet, quam Planudes *τίν' ὁδὶ* uerbis expleuit. Haec friuola coniectura decepit Hermannum, qui ad Orph. p. 769 coniecit: *τίνα δή*. Ni latius patet corruptela, lusus in uerbis *χαλκὸς* et *χάλκεος* uidetur restituendus esse. Diltheyus proponit: *χαλκοῦν*.

Alcaei *Πανὶ κ. τ. λ.*, 188 Leonidae Tarentini *Ὁ Κρής κ. τ. λ.*, 189 Moeronis Byzantiae *Νύμφαι κ. τ. λ.*

Asclepiadi Samio in Constantini Cephalae anthologia quae Asclepiadis inscribantur epigrammata omnia danda esse, cum in ea nullius alius Asclepiadis indicium extet, ab eoque solum Asclepiadem Adramyttenum secernendum esse Weigandius l. l. p. 174 rectissime iudicat. Sami igitur multo maiore ex parte amatoria, pauca funebria aut dedicatoria. Tria solummodo nos attinent epigrammata, quorum de auctore cum iam antiquitus uariatum sit (tribuebatur enim Plan. 68 etiam Posidippo, IX, 752 etiam Antipatro Thessalonicensi, IX, 64 etiam Archiae) cohibere iudicium non modo tutius sed necessarium est.

Mnasalcae Sicyoni VI, 268 in dedicando Dianae signo uersatur, demonstratiuum est eius epigramma de Virtute et Voluptate quod seruauit Athenaeus V p. 163 a, de quo infra p. 71 disputabimus.

Theodoridas Syracvsanvs, Euphorionis ut suspicatur Schneiderus (uide Iacobs. catal. p. 959) et Mnasalcae aequalis, in Meleagri corona erat. Doctae de eo Iacobsi disputationi Meinekius anal. Alex. p. 18 quaedam addidit. Epigramma eius IX, 743:

Θεσσαλαὶ αἱ βόες αἵδε· παρὰ προθύροισι δ' Ἀθάνας
ἑστᾶσιν, καλὸν δῶρον, Ἰτωνιάδος·
πᾶσαι χάλκειαι, δυοκαίδεκα, Φράδμονος ἔργον,
καὶ πᾶσαι γυμνῶν σκῦλον ἀπ' Ἰλλυριῶν,

si eum Phradmonem dicit, quem Plinius sub Ol. 90 ponit, demonstratiuum est, sin alium, nobis ignotum Phradmonem, uera inscriptio esse potuit. Epigramma VI, 282 *Θεοδώρου* inscriptum, quod legitur in parte coronae Meleagri, inscriptionis corruptelam statuentes ab eodem Theodorida repeteremus, nisi Diogenes Laertius II, 8, 19 Theodorum epigrammatum poetam nominaret. Pro nouicio igitur coronae Meleagricae poeta Theodorus ille habendus est.[1])

---

1) In Theodoridae Plan. 132 de Nioba uide num scribendum sit:

Theocriti Syracvsani quae nos attinent epigrammata VI, 337—340, IX, 598—600 inscripta Asclepi, Musarum, Bacchi, Veneris simulacris, Epicharmi, Pisandri, Anacreontis statuis omnem, qui tunc in dedicationibus concedebatur, ornatum admittunt.

Leonidam Tarentinvm pauperem fuisse epigrammate VI, 300 docemur, multum in uita iactatum procul patria urbe diem supremum obiisse epigrammatis VII, 715 his uerbis:

Πολλὸν ἀπ' Ἰταλίης κεῖμαι χθονός, ἔκ τε Τάραντος
πάτρης· τοῦτο δέ μοι πικρότερον θανάτου.
τοιοῦτος πλανίων ἄβιος βίος·

Et cum in ipsis Leonidae epigrammatis haud rara talis multiuagae uitae indicia prodeant, non est, cur negemus ipsum uidisse ea artis monumenta, de quibus demonstratiua quaedam condiderit. Celebrauit autem Myronis uaccam Athenis epigrammate IX, 719, Apellis Venerem Anadyomenen in Co insula epigrammate Plan. 182, Praxitelis Amorem Thespiis epigrammate Plan. 206, Anacreontis ebrii statuam epigrammatis Plan. 306. 307. De Venere Spartae collocata nugatur epigramma IX, 320 hoce:

Εἶπέ ποκ' Εὐρώτας ποτὶ τὰν Κύπριν· ἢ λάβε τεύχη,
ἢ 'ξιθι τᾶς Σπάρτας· ἁ πόλις ὁπλομανεῖ.
ἁ δ' ἁπαλὸν γελάσασα· καὶ ἔσσομαι αἰὲν ἀτευχής,
εἶπε, καὶ οἰκήσω τὰν[1]) *Λακεδαιμονίαν.*
χἀ μὲν Κύπρις ἄνοπλος· ἀναιδέες, οἵ γε[2]) *λέγουσιν*
ἵστορες, ὡς ἁμῖν χἀ θεὸς ὁπλοφορεῖ.

γλῶσσα θνατοῖσιν δολία νόσος, ἃς ἀχάλινος
ἀφροσύνα τίκτει πολλάκι δυστυχίαν.

θνατοῖς ἐν γλώσσᾳ Plan., cf. Iacobsium ad hunc locum.

1) *γᾶν* Meinekius uoluit delect. p. 122 aut *τὰν Λακεδαιμονίων*. *γᾶν* certe Leonidas dicere non potuit, cum sermo sit non de terra, at de urbe Lacedaemonia.

2) *οἱ δὲ* Pal. *οὐδὲ* Iacobsius. Sententia aperte haec est: impudentes sunt, qui scientes adseuerant. Propter id quod sequitur: *ὡς ἁμῖν* initio uersus pro: *χἀ μὲν*, quod satis languet, malim: *χἀμῖν*.

De Mercurio et Hercule *παρέδροις* agit epigramma IX, 316, lusum in Amorem *ἐκ λιβανωτοῦ* factum habes in epigrammate IX, 179. Reliqua, in quibus artis opera commemorantur, uidentur fuisse inscriptiones. In omnibus igitur, quae *ἐπιδεικτικῶς* lusit Leonidas, liberas habes, quales poetae conceduntur, artium descriptiones, et quod toti huic epigrammatum generi proprium est, ut artium ueritas exaggerata acuminibus adornetur, id ita constanter excoluit, ut certum quendam huius celebrationis stilum praeformasse iudicandus sit.

Callimachvs singularem quandam gratiam epigrammatis suis inspirauit, ut ab aliorum forma paene abhorreant. In omnibus docta sententiarum elocutio, faceta orationis gracilitas; interdum breuis est, ubi breuitate uenustas elicitur, interdum luxuriat, ut non rerum auctoritas sed poetae ipsius ingenium emineat. Omnia autem quae nos attinent: VI, 347, quod in dedicanda Dianae imagine uersatur, VI, 150, VI, 311, VII, 458, VI, 149, IX, 336 uidentur inscriptiones fuisse, ni unum exceperis V, 146 de Berenicae imagine. Varie uexauit interpretes VI, 310:

Εὐμαθίην ᾐτεῖτο, διδοὺς ἐμὲ Σῖμος ὁ Μίκκου
ταῖς Μούσαις· αἱ δέ, Γλαῦκος ὅκως, ἔδοσαν
ἀντ᾽ ὀλίγου μέγα δῶρον· ἐγὼ δ᾽ ἀνὰ τήνδε κεχηνώς
κεῖμαι τοῦ Σαμίου διπλόον, ὁ τραγικός
παιδαρίων Διόνυσος ἐπήκοος· οἱ δὲ λέγουσιν,
„ἱερὸς ὁ πλόκαμος" τοὐμὸν ὄνειαρ ἐμοί.

In quod felix lux nobis redundare uidetur ex Asclepiadis epigrammate VI, 308:

Νικήσας τοὺς παῖδας, ἐπεὶ καλὰ γράμματ᾽ ἔγραψεν,
Κόνναρος ὀγδώκοντ᾽ ἀστραγάλους ἔλαβεν,
κἀμέ, χάριν Μούσαις, τὸν κωμικὸν ὧδε Χάρητα
πρεσβύτην θορύβῳ θήκατο παιδαρίων.

Vt hic igitur Connarus puer uictor in ludo literario Musis posuit comicam personam inter condiscipulorum clamores: sic Simus, puer nimirum, ante certamen in ludo *εὐμαθίην ᾐτεῖτο*

Musisque dicauit τὸν τραγικὸν Διόνυσον, qui uel positus uel cum poneretur audiebat condiscipulos „ἱερὸς ὁ πλόκαμος" uerba illa Bacchi ex Euripidis Bacchis clamantes nouiciamque sapientiam puerili more iactantes. Inexpedita sunt uerba: ἐγὼ δ' ἀνὰ τήνδε — τοῦ Σαμίου διπλόον. Quorum interpreti fortasse utile erit, quod Plinius 8, 58 et Aelianus hist. an. 7, 48 tradunt in Samo insula Διόνυσον κεχηνότα sede sacratum esse ab Elpide (cf. Bernhard. Eratosth. p. 87, Meinek. anal. Alex. p. 140).

De Niciae Milesi aetate certi nihil aliud innotuit, nisi carmina eius ab Meleagro in coronam recepta esse eumque poetam et medicum intellegi in Theocriti epigrammate VI, 337, idyll. XI, 5, 6 (ibique schol.) XXVIII, 7 (cf. Meinek. del. p. 138). Omnia eius prope absunt ab indole et ratione Anytae epigrammatum; quae de artibus lusit, in Mercurium Pl. 188, in Panem Pl. 189, ut omnia quae adhuc attigimus demonstratiua, materias ueras, non fictas, uisas, non auditas solummodo aut lectas tractare uidentur.

Posidippvs elegans poeta composuit de Alexandri statua a Lysippo ex aere ducta Plan. 119, de curru in lapide scalpto epigramma quod Tzetzes Chil. VII, 662 p. 138 seruauit (App. 66), in Lysippi occasionem Plan. 275:

α. Ὀππόθεν[1]) ὁ πλάστης; β. Σικυώνιος. α. οὔνομα δὴ τίς;
β. Λύσιππος. α. σὺ δὲ τίς; β. Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
α. τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; β. αἰεὶ τροχάω. α. τί δὲ ταρσοὺς
ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; β. ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
α. χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; β. ἀνδράσι δεῖγμα,
ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.

1) Τίς πόθεν Plan., quod damnatur constanti in his altercationibus strenuae responsionis lege, uide VII, 116. 140. 163—165. 503. corp. inscr. I add. 863 b, II n. 2415, alia. Adde quod primum huius epigrammatis uersum prorsus expresserit Synesius scholasticus Plan. 267:

α. Ὀππόθεν ὁ στήσας; β. Βυζάντιος. α. οὔνομα δὴ τίς;
β. Εὐσέβιος. α. σὺ δὲ τίς; κ. τ. λ.

α. ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; β. ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι [1]).
α. νὴ Δία, τἀξόπιθεν δ' ἐς τί φαλακρὰ πέλει;
β. τὸν γάρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσίν,
οὔτις ἔτ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
α. τοὔνεχ' ὁ τεχνίτης σε διέπλασεν; β. εἵνεκεν ὑμέων,
ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

Philoxeni poetae a Meleagro non nominati, at recepti ut uidetur, superest inscriptio hermae Tlepolemi IX, 319 (cf. Pausaniam 5, 8, 11 et Bergleinium de Philoxeno Cytherio p. 63, Bergkium lyr. p. 997).

Diotimvm Meleager inter coronae poetas recensuit. Iam Diotimus cum repraesentetur Milesius ad V, 106 in parte coronae Philippi, Atheniensis Diopeithis filius ad VII, 420 in parte coronae Meleagri, non tres Diotimos cum Meinekio (in delectu p. 54, 55), sed duos statuendos esse, alterum Meleagricum poetam auctorem epigrammatum VI, 26, 7. 358; VII, 261. 420. 475. 733, alterum Philippicum poetam, auctorem epigrammatis V, 106 Weigandius l. l. p. 172 perspexit. Incerta utrius sint quippe quia incertae sedis: VII, 173, 227. IX, 391. Plan. 158; ea Weigandio propter lemmata duplicia atque epigrammata finitima a Diotimo Atheniensi repetenda esse uidentur. Sed si quid sensui tribuitur in signanda temporum differentia Philippico Diotimo tribuenda sunt IX, 391 de Antaei Herculisque pugna et Plan. 158 de Diana ex aere facta hoc:

Ὡς πρέπει, Ἄρτεμίς ἐστιν· ἴδ' [2]) Ἄρτεμιν αὐτὸς ὁ χαλκός [3])
μαννύει Ζηνός, κοὐχ ἑτέρου θύγατρα.
τεκμαίρου τὸ θράσος τᾶς παρθένου. ἦ ῥά κεν εἴποις·
πᾶσα χθὼν ὀλίγον τᾷδε κυναγέσιον.

---

1) λαβέσθαι, νὴ Δία. α. τἀξόπιθεν δ' Plan., quod contra omnem elegantiam peccat. Omnino facit nobiscum Ausonius ep. 12, 7:

Crine tegis faciem. Cognosci nolo. Sed heus tu
Occipiti caluo es.

2) εἰμ' εἰ δ' Plan., εἰμ' εὖ δ' Meinekius, sed prima persona propter ea quae secuntur: τᾶς παρθένου et τᾷδε ferri nequit.

3) Sic Iacobsius. χαλκεὺς Plan. αὐτοῦ ὁ χαλκεὺς Passow. Vermischte Schriften p. 202. Eandem fere sententiam habes in Antipatri Thessalonicensis epigrammate IX, 238.

Phaedimi Byzanti extat Apollinis statuae dedicatae inscriptio Pal. XIII, 2.

Nicaeneti Sami meri lusus sunt Plan. 191, XIII, 29; idem Alexandri Aetoli epigramma Plan. 172; Phalaeci XIII, 5 uera inscriptio est, in quattuor athletarum imaginesc onfecta; eiusdem num sit XIII, 7 iure dubitat Meinekius in delectu p. 156.

Alcaei Messeni quattuor epigrammata in disputationem vocari debent: IX, 588 in Clitomachum, Isthmium victorem, ex quo, ni fallimur, Pausanias partem eorum hausit, quae 6, 15, 3—5 de Clitomacho prodit; reliqua demonstratiua: Plan. 8 in Marsyam religatum — fortasse Romanum illum (cf. Plin. 21, 9; Horat. Sat. 1, 6, 120), Romae enim degisse Alcaeum patet ex Athenaeo XII p. 547 a — Plan. 196 in Amorem uinctum, Plan. 226 in Panem tibiis canentem.

Dioscoridis poetae Meleagrici multa leguntur in partibus Meleagri coronae. Alius est Nicopolita, cuius VII, 178 extat indefinito loco inter partes coronae Philippi. Huius unius, non aliorum etiam epigrammata sub nudo Dioscoridis nomine seruata esse, nec affirmari nec negari potest, etiamsi magnam illam quae Dioscoridis nomen ferunt epigrammatum uarietatem considerantes proni fuerint plures Dioscorides ponere. Epigramma tamen IX, 734 in Myronis uaccam Dioscoridi illi Meleagrico abiudicamus; *διοκριδο* inscriptum est, unde coniectura etsi per se probabili Dioscoridis nomen viri docti efficiebant, non plus quam duos versus habet, cum reliqua Dioscoridis maioris ambitus sint, neque aliud eiusdem extat in artis opus compositum.

Damagetae epigramma demonstratiuum est Plan. 95 de Herculis cum leone Nemaeo pugna.

Tymnae poetae Meleagrici, cuius omnia fere leguntur in partibus coronae Meleagri unum est demonstratiuum Plan. 237 in Priapum. Antiquior erat Antipatro Sidonio, quippe qui eius epigramma VI, 151 expresserit epigrammatis VI, 46. 159.

De Antipatro Sidonio, qui coronae Meleagri amici, ut uidetur, multa epigrammata suppeditauit, item de Antipatro Thessalonicensi, cuius poemata in Philippi corona erant, accurate etsi fusius aliquando Weigandius peculiari dissertatione Vratislauiae 1848 foras data disseruit. Posthabita autem temporum ratione statim hic, quoniam commodius uidetur, de Antipatro Thessalonicensi uerba faciemus.

Antipater Sidonius, qui, ut ait Cicero de orat. III, 50, 194, solebat uersus hexametros aliosque uariis modis atque numeris fundere ex tempore, ut alibi priorum poetarum imitator, sic in epigrammatis, quae ad artes spectant, non modo argumenta, sed etiam tractationem ab antiquioribus mutuatus est et quidem a Leonida Tarentino potissimum. Vel in eis enim quae nobis seruata sunt — ac certo multo plura ingenio eius debebantur — crebram, ne dicam perpetuam Leonidae Tarentini expilationem est quod emireris. Ita Plan. 178 de Apellis Venere anadyomena conformatum est ad similitudinem Plan. 182 Leonidae. Nec aliunde repetemus caussas epigrammatis Plan. 167 de Venere Cnidia et Amore Thespiensi Praxitelis. Leonidae epigrammate IX, 719 excitata uidentur IX, 720—724 [1]) inepta illa epigrammata de Myronis bucula Athenis posita. Quantum igitur ex his colligere licet Antipater ipsa monumenta quae celebrauit non uidit; sin uero uidit, non ita celebrauit, ut nobis qui apographa abicere adsueuimus, ubi archetypa praesto sunt, peculiarem inde usum capere liceret [2]). Eidem infra p. 67 uindicabimus IX, 603 de quinque Maenadibus.

---

1) IX, 724 sic legendum est:

Ἀ δάμαλις, δοκέω, μυκήσεται· ἦ ῥα Προμηθεύς
οὐχὶ μόνος, πλάττεις ἔμπνοα καὶ σύ, Μύρων.

ἦ ῥ' ὁ Pal. In omnibus demonstratiuis epigrammatis sine ulla exceptione artificum nomina nullum articulum habent. — IX, 728. 729 quoque Antipatro Sidonio Weigandius data uult, num recte, ambigimus.

2) Fecit Antipater Sidonius in eos (ut putatur propter epigramma quod sequitur eiusque lemma), qui cum Leonida ad Thermopylas occubuere, VII, 252 hoc:

Antipater Thessalonicensis idem qui nonnunquam Macedo cognominatur in anthologia, fecundus erat poeta, cui poesis saepius defuit quam uersus, nec uero aut superiorum poetarum constans imitator, aut ubi imitabatur, cacozelus. Lucium autem Calpurnium Pisonem intra a. u. 744—746 Bessorum debellatorem in Asiam (X, 25) familiaris cliens, ac fortasse etiam reducem secutus est Romam. Illic certe eum degisse non solum ex VII, 185 et Plan. 290. 243, quae Weigandius hunc in finem protulit, sed etiam ex Plan. 184 et IX, 59 consequitur. Ac talium itinerum uestigia uel fructus potius deprehenduntur in epigrammatis demonstratiuis quibusdam. *Βούπαις* enim *Ἀπόλλων*, Onatae opus, quod teste Pausania 8, 42, 7 apud Pergamenos erat *θαῦμα ἐν τοῖς μάλιστα μεγέθους τε ἕνεκα καὶ ἐπὶ τῇ τέχνῃ* laudibus ornatur ab eo epigrammate IX, 238.

Βούπαις ὡπόλλων, τόδε χάλκεον ἔργον Ὀνατᾶ,
ἀγλαΐης Λητοῖ καὶ Διῒ μαρτυρίη,
οὐθ' ὅτι τῆςδε μάτην Ζεὺς ἤρατο, χὤτι καὶ αὐτός[1])
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἀγλαὸς ὁ Κρονίδης.
οὐδ' Ἥρῃ νεμεσητὸν ἐχεύατο χαλκὸν Ὀνατᾶς,
ὃν μετ' Ἐληθυίης τοῖον ἀπεπλάσατο [2]).

Οἶδ' Ἀΐδαν στέρξαντες ἐνόπλιον, οὐχ, ἅπερ ἄλλοι
στάλαν, ἀλλ' Ἀρετὰν ἀντ' ἀρετᾶς ἔλαχον.

ἀρετὰν Pal. Arete in Aiacis tumulo ab eodem Antipatro Sidonio celebratur epigrammate VII, 146 et ab Asclepiade epigrammate VII, 145 (cf. Mnasalcae epigramma apud Athenaeum V, p. 163 a b). Euphranor Virtutem et Graeciam utrasque colosseas (Plin. 34, 78) fecit; Virtutem Aristolaus (Plin. 35, 137) et Parrhasius (Plin. 35, 70) pinxerunt. Iam Simonides (Bergk. fragm. 58) Virtutis allegoria quadam usus est. Alia uide apud Welckerum in Zimmermann's Schulzeitung 1831, Abtheil. 2 p. 669 et Winkelmannum in „Versuch einer Allegorie etc.“ §. 18—23 et §. 342.

1) *κατ' αἶνον* Pal., quod defendi nequit tali locutione, qualis est in Hadriani epigrammate IX, 17: *ἐκ πυρός, ὡς αἶνος, πέσες εἰς φλόγα. κατ' αἶσαν* Heckerus p. 180. Sententia haec est: Et Latona *ἀγλαὴ* est (quam haud necquiquam Iupiter amauerit) et ipse Iupiter.

2) Hoc Onatae opus Rathgeberus in encycl. Erschi et Gruberi sub

Pergami commoratum esse Antipatrum pellucet fortasse etiam ex epigrammate VII, 692 de Glyconis Pergameni morte. Quid? quod Pergami legebatur (cf. corp. inscr. II, n. 3555) inscriptio [1]), quae eadem in anthologia (VII, 15) Antipatro tribuitur (Thessalonicensi nimirum, quippe quae in Philippi corona fuerit, quod fugit Weigandium p. 82):

Οὔνομά μευ Σαπφώ· τόσσον δ' ὑπερέσχον ἀοιδὰν
θηλειᾶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδας,

subscripta illa quidem fortasse Sapphonis statuae, sicuti Sap-

---

uoce: Onatas p. 422 b Marci Aureli quodam in nummo Pergameno (apud Mionn. II, p. 601 n. 579 descripto), in quo Apollini nudo dextera quadrupedem, laeua arcum tenenti adstat femina quaedam, expressum esse suspicatur insistensque epigrammatis uerbis: *τὸν μετ' Ἐληθυίης* Iunonem cum Apolline coniunctam fuisse opinatur. Verum de Iunone nihil apud Pausaniam (8, 42, 7), nihil in lemmate epigrammatis, nihil in epigrammate ipso. In pulcherrimo Onatae Apolline — haec est epigrammatis sententia — parentum dignitas conspicitur; ipsa Iuno tam pulchrum priuignum edenti artifici non succensuit nouerca, sed obstetrix opitulata est. (Arguta illa figura, qua artifices opera sua *τεκεῖν* dicuntur, reperitur etiam in IX, 726, Plan. 257.) Totum epigramma aliter conformatum foret, si Iuno cum Apolline fuisset iuncta, nec id tanta obscuritate obuoluisset Antipater Thessalonicensis, alioquin liquidae orationis studiosus; certe in nominanda Iunone sibi constare neque in quinto uersu *Ἥρῃ*, in sexto sine idonea caussa *Ἐληθυίης* dare debuit. Ac cum Apollo ille Onatae colosseus fuerit, qui apud eum Iuno eadem nimirum colossea stare potuerit, aegre dispicitur. Ceterum nec tempus nec chartas perdidissemus in refutanda hac Rathgeberi coniectura, ni Brunnium (I, p. 92) uidissemus in iudicanda ea aeque diffidentem atque captum. Iuno quae rarissime uidetur coniuncta esse cum Apolline, fortasse cum eo coniuncta erat Romae in Concordiae templo (Plin. 34, 73).

1) Sic inscriptio in monte Casino, quam ex schedis Casitti Franzio misit Mommsenus, corp. inscr. III n. 5875 g:

Μικρὰ μὲν λίθος ἐστίν, ἔχει δ' ἡδεῖαν ὀπωπήν
ἔνδον τῶν μορφᾶν, ὡς ἴον ἐν ταλάροις.

extat, quod fugit Franzium, in anthologia IX, 610 sic conformata:

Μικρὰ μὲν ἔργα τάδ' ἐστίν, ἔχει δ' ἡδεῖαν ὀδωδήν,
ὡς ῥόδον ἐν κήποις, ὡς ἴον ἐν ταλάροις.

ὀπωπήν Plan.

phonis statuae a Silanione factae epigramma subscriptum fuisse accipimus a Cicerone in Verr. IV, 127 (cf. O. Jahnium in „Abhandlungen der sächs. Ges. der Wiss.“ VIII p. 717). Aeque Antipatro Thessalonicensi dandum videtur VII, 137 de tumulo Priami. In Ariae Tarsensis stadiodromi statuam fortassa conditum est IX, 557. Cum in patria moraretur, fecit inscriptionem hanc VI, 208.

Ἡ τὰ πέδιλα φέρουσα, Μενεκράτις · ἡ δὲ τὸ φᾶρος,
Φημονόη · Πρηξὼ δ', ἡ τὸ κύπελλον ἔχει.
τῆς Παφίης δ' ὁ νεὼς καὶ τὸ βρέτας · ἄνθεμα δ' αὐτῶν
ξυνόν · Στρυμονίου δ' ἔργον Ἀριστομένους.[1])
πᾶσαι δ' ἀσταὶ ἔσαν καὶ ἑταιρίδες · ἀλλὰ τυχοῦσαι
Κύπριδος εὐκρήτου, νῦν ἑνός εἰσι μία.

Epigramma VII, 748 Tirynthis moeniis inscriptum fuisse coniecit Heckerus p. 170. VII, 209 dedicatae Veneris statuae inscriptio erat. IX, 59 nobis iudicibus agit de pictis Victoriis in tecto domus Cai Romani — uersu quinto enim γραπταὶ legendum est, quod scholiasta legisse uidetur, qui diserte de pictura loquitur. Medeam Timomachi ab Augusto Romam asportatam procul dubio ipse uidit uisaque illa composuit absurdum epigramma Plan. 143. De Baccho in Pisonis domo Plan. 184. Thessalonicensi quoque Antipatro tribuere audemus Plan. 220 de tribus Aristoclis, Ageladae, Canachi Musis, quarum una χέλυν, altera βάρβιτον, tertia λωτοὺς gestabat.

1) Hoc epigramma bis extat in Palatina diuersis locis exaratum. Altero loco legitur Ἀριστομάχου, altero Ἀριστομένους, quod Planudes quoque praebet. Iam cum nullum Aristomachum artificem, at Aristomenem pictorem eumque Thasium nouerimus, qui perbene Στρυμόνιος dici potuit (Στρυμόνιος saltem poetica tantum, non uera cognominatio — ut in XIII, 17 et in corp. inscr. III n. 6288, ubi uide Franzium), non licet sed debet legi Ἀριστομένους. De hoc iam Iacobsius cogitauit in tomo 8 p. 302. 403, qui uidit etiam epigramma in pictam tabulam scriptum esse, in qua tres mulieres dona manibus tenentes una cum Veneris templo et simulacro repraesentatae fuissent. Nunc uide quid iudicandum sit de Brunni (2 p. 301) uerbis hisce: „Uebrigens bietet eine Handschrift (sic!) statt Aristomachos den Namen des Aristomenes“ eisque quae secuntur.

Quamuis enim aequales fuerint artifices illi, ut ad unum opus certo consilio perficiendum conuenire potuerint, uero tamen similius uidetur, eorum Musas primo seorsum statutas Romae cum undique Graeciae copiae congererentur, consociatas esse tali mente, qualem Antipater interpretatur. IX, 72 de Mercurio et Hercule in Philippi corona fuit, quod fugit Weigandium. — Magna uero est pars eorum epigrammatum, quae utrius Antipatri sint firmis caussis effici nequit. Huc pertinent IX, 143 de Venere marina, 792 de Niciae necyomantea (Plin. 35, 131), quae Athenis erat, Plan 75 in Coti regis imaginem fortasse, Plan. 131.[1]) 133 de Nioba, Plan. 175. 176 de Venere armata (cf. p. 20), Plan. 197 de Amore uincto.

Ad Zenodotvm Ephesivm nullo iure quantum uidemus a Jacobsio et Brunckio referuntur duo illa epigrammata, quae Zenodoti nomen ferunt, licet alterum VII, 315 in Meleagri corona fuit, cuius uestigia si quid sapimus deprehenduntur in initiis epigrammatum VII, 315. 316. 317., altero Plan. 14 luditur de Amore apud fontem posito.

Demetri Bithyni de Myronis bucula nugas IX, 730. 731 Weigandius p. 177 cur coronae Meleagri adscribere uelit non uidemus, cum nihil in externorum indiciorum defectu de auctore aliunde aliqua saltem cum probabilitate contendi queat.

Meleagrvm Gadarenvm ipsum, imprimis poesis amatoriae cultorem sunt quae testentur non incuriosum artis fuisse, etsi a trito demonstratiuorum epigrammatum stilo alienus erat (cf. Welckerum Kleine Schriften II p. 382 n. 19). In amatoriis epigrammatis XII, 56. 57 a Praxitele sculpti Amoris mentio fit. Amor plorans abiectis armis celebratur epigrammate XII, 144. Amorum uenditiones, quales multifariam ab

1) Huius epigrammatis primus uersus ni omnia fallunt hunc in modum scribendus est:

Τανταλὶς ἅδε πόχ' ἁ δίσσ' ἑπτάκι τέκνα τεκοῦσα
γαστρὶ μιῇ Φοίβῳ θῦμα καὶ Ἀρτέμιδι.

ἅδε πόχ', ἅδε δὶς ἑπτάκι Plan., quod male defendit Iacobsius.

artificibus repraesentabantur (cf. Jahni Archäol. Beiträge p. 217 squ.), caussa erant epigrammatis V, 178. In gemma Petropolitana, quae in titulo Meleagri editionis a Graefio curatae exhibita est, repraesentatur argumentum epigrammatis XII, 19. Ad similem picturam, qualis est apud Zahnium II, 62, 2 spectabat XII, 131, quod docuit Jahnius Berichte der s. Ges. der Wissensch. 1851 p. 167. Ibidem p. 162 et p. 165 perspexit idem ad monumenta artis spectare XII, 80 et V, 179. Epigramma V, 149 recte de picta Zenophilae cuisudam imagine intellegitur.

Eorum epigrammatum, quae, cum auctores ignoti sint, Weigandius p. 178 probabiliter ad Meleagri coronam rettulit, unum tantum huc facit IX, 325 de concha scriptum, in qua Amor dormiebat.

Hucusque epigrammatum poetas persecuti sumus ad Meleagri Gadareni tempora; quo loco antequam progredimur, mentionem iniciemus de eis locis historiae naturalis Plinianae, quos ad epigrammata Graeca reuocandos esse Jahnius Berichte der sächs. Ges. der Wiss. 1850 p. 118—125 edocuit. Quorum recensum a nobis adauctum hunc accipe:

XXXIII, 156. Antipater — qui Satyrum in phiala grauatum somno conlocauisse uerius quam caelasse dictus est[1]).

---

1) Plan. 248 *Πλάτωνος.*

Τὸν Σάτυρον Διόδωρος ἐκοίμισεν, οὐκ ἐτόρευσεν.
ἢν νύξῃς, ἐγερεῖς ὀργίλον· ὕπνον ἔχει.

Cum hoc epigrammate ita congruunt quae Plinius dicit, ut eum id ipsum ante oculos habuisse uerisimile sit. Cum uero prorsus inauditum sit in tota anthologia, ullum poetam ita ab antiquiore poeta mutuatum esse argumentum uel acumen quoddam, ut id sine ulla mutatione ad alium artificem adaptaret, permagna miratio mouetur, cur, cum idem acumen sit apud Plinium et in epigrammate, non idem artificis nomen proueniat. Adde quod epigramma illud Platonis philosophi nec esse neque haberi potuerit; sin uero Platonis iunioris erat, cum in Philippi corona hic fuerit, Plinius ex Philippi saltem corona id non nouit. At una, etsi audaci coniectura omnibus incommodis mederi poterimus. Plinius l. l. toreutas recenset secundum dignita-

XXXIV, 55. Polyclitus — fecit et quem canona artifices uocant — solusque hominum artem ipsam fecisse artis opere iudicatur.

— 59. Pythagoras — fecit — claudicantem, cuius ulceris dolorem sentire etiam spectantes uidentur[1]).

— 70. (Praxitelis) spectantur et duo signa eius diversos adfectus exprimentia, flentis matronae et meretricis gaudentis. hanc putant Phrynen fuisse deprehenduntque in ea amorem artificis et mercedem in uoltu meretricis.

— 71. habet simulacrum et benignitas eius (Praxitelis), Calamidis enim quadrigae aurigam suum imposuit, ne melior in equorum effigie defecisse in homine uideretur.

---

tem et famam in classes distributos, in his autem alphabetico ordine compositos. Primus iudice Plinio Mentor; proximi ab eo, qui in admiratione fuerunt: Acragas, Boethus, Mys. Post hos celebrati sunt: Calamis, Antipater, Stratonicus, Tauriscus; item laudantur Ariston, Eunicus, Hecataeus, Pasiteles, Posidonius, hedystrachides (sic enim in Bamb., Diltheyus coniecit: Telesarchides), Zopyrus. Praeterea nominantur Pytheas et Teucer. Unum hic Antipatri nomen ordini alioquin manifesto obstat. Iam fac nobiscum apud eum scriptorem, ubi hoc epigramma legerit Plinius, superscriptum fuisse epigrammati:

ЄICCATYPON ANTIΠATPOY

quam digne potuit Plinius, qui alibi neglegentiam suam egregie manifestauit, pro toreuta Satyri illius Antipatrum habere, qui de eo epigrammatis poeta erat. Quod contra nunc me monet Jahnius sibi uideri simili errore in epigrammate Praxitelis, de quo supra disputauimus, pro poeta habitum esse, qui artifex fuerit.

1) cf. Plan. 112 incerti auctoris:

Ἐχθρὸς ὑπὲρ Δαναοὺς πλάστης ἐμός, ἄλλος Ὀδυσσεύς,
ὅς μ' ἔμνησε κακῆς οὐλομένης τε νόσου.
οὐκ ἤρκει πέτρη, τρῦχος, λύθρον, ἕλκος, ἀνίη·
ἀλλὰ καὶ ἐν χαλκῷ τὸν πόνον εἰργάσατο.

Plan. 113 Iuliani Aegypti quod sic incipit:

Οἶδα Φιλοκτήτην ὁρόων, ὅτι πᾶσι φαείνει
ἄλγος ἐόν, καὶ τοῖς τηλόθι δερκομένοις.

XXXIV, 74. Cresilas uolneratum deficientem, in quo possit intellegi quantum restet animae, et Olympium Periclen dignum cognomine, mirumque in hac arte est quod nobilis uiros nobiliores fecit.

— 76. Demetrius — Mineruam quae myctica appellatur — dracones in Gorgone eius ad ictus citharae tinnitu resonant —.

— 77. Euphranoris Alexander Paris est, in quo laudatur quod omnia simul intellegantur, iudex dearum, amator Helenae et tamen Achillis interfector.

— 78. Eutychides Eurotam, in quo artem ipso amne liquidiorem plurumi dixere [1]).

— 79. Leochares aquilam sentientem quid repiat in Ganymede et cui ferat parcentemque unguibus etiam per uestem puero [2]).

— 80. Naucerus luctatore anhelante * *.

— 81. Styppax — celebratur — splanchnopte, Periclis Olympii uernula hic fuit extra torrens ignemque oris pleni spiritu accendens.

---

1) cf. IX, 709. epigramma Philippi:

Εὐρώταν ὡς ἄρτι διάβροχον ἔν τε ῥεέθροις
  εἷλκυσ' ὁ τεχνίτης ἐν πυρὶ λουσάμενον·
πᾶσι γὰρ ἐν κώλοις ὑδατούμενος ἀμφινένευκεν
  ἐκ κορυφῆς ἐς ἄκρους ὑγροροῶν ὄνυχας.
ἁ δὲ τέχνα ποταμῷ συνεπήρικεν· ἆ τίς ὁ πείσας
  χαλκὸν κωμάζειν (?) ὕδατος ὑγρότερον;

2) cf. XII, 221 epigramma Stratonis:

Στεῖχε πρὸς αἰθέρα δῖον, ἀπέρχεο παῖδα κομίζων,
  αἰετέ, τὰς διφυεῖς ἐκπετάσας πτέρυγας.
στεῖχε τὸν ἁβρὸν ἔχων Γανυμήδεα, μηδὲ μεθείης
  τὸν Διὸς ἡδίστων οἰνοχόον κυλίκων.
φείδεο δ' αἱμάξαι κοῦρον γαμψώνυχι ταρσῷ,
  μὴ Ζεὺς ἀλγήσῃ, τοῦτο βαρυνόμενος.

ἀνέρχεο in primo uersu? cf. Iahn. arch. Beitr. p. 20, qui comparat Nonn. 15, 280, Martial. 1, 6, 1.

XXXIV, 82. Silanion Apollodorum fudit — nec hominem ex aere fecit, sed iracundiam.

— 93. (Incerti auctoris statua) Herculis tunicati, sola eo habitu Romae, torua facie sentiensque suprema tunicae.

— 140. Aristonidas artifex cum exprimere uellet Athamantis furorem Learcho filio praecipitato residentem paenitentia, aes ferrumque miscuit, ut robigine eius per nitorem aeris relucente exprimeretur uerecundiae rubor.

— 141. Ferreus Hercules, quem fecit Alcon laborum dei patientia inductus.

XXXV, 59. (Polygnoti) est tabula in porticu Pompei, quae ante curiam eius fuerat, in qua dubitatur an ascendentem cum clipeo pinxerit an descendentem.

— 63. (Zeuxis) fecit et Penelopen, in qua pinxisse mores uidetur.

— 69. (Parrhasius) pinxit demon Atheniensium argumento quoque ingenioso. estendebat namque varium: iracundum iniustum incontinentem, eundem exorabilem clementem misericordem; excelsum humilem, ferocem fugacemque et omnia pariter.

— 70. (Parrhasius) pueros duos, in quibus spectatur securitas et aetatis simplicitas.

— 71. (Parrhasi) duae picturae nobilissimae, hoplites in certamine ita decurrens, ut sudare uideatur, alter arma deponens, ut anhelare sentiatur.

— 74. (Timanthis) in — operibus intellegitur plus semper quam pingitur et, cum sit ars summa, ingenium tamen ultra artem est. pinxit et heroa absolutissimi operis artem ipsam conplexus viros pingendi.

XXXV, 78. (Aetionis) Semiramis ex ancilla regnum apiscens — noua nupta verecundia notabilis.

— 94. (Apelles) pinxit et heroa nudum, eaque pictura naturam ipsam prouocauit.

— 98. (Aristidis) oppido capto ad matris morientis ex uolnere mammam adrepens infans, intellegiturque sentire mater et timere, ne emortuo lacte sanguinem lambat[1]).

— 99. (Aristides pinxit) supplicantem paene cum voce.

— 103. fecitque in pictura (Protogenis) fortuna naturam.

— 106. (Protogenis) Satyrus — est, quem anapauomenon uocant, ne quid desit temporis eius securitati, tenentem tibias.

— 138. (Antiphilus) laudatur — lanificio in quo properant omnium mulierum pensa.

XXXVI, 13. (Bupali et Athenidis) in ipsa Chio narrata est — Dianae facies in sublimi posita, cuius uoltum intrantes tristem, abeuntes hilaratum putant.

— 21. (Praxitelis Veneris) effigies dea fauente ipsa, ut creditur, facta.

— 24. (Praxitelis) laudatum est Pergami symplegma nobile digitis corpori uerius quam marmori impressis.

In his omnibus se offerre nobis sales epigrammatum certatim de artibus factitatorum uel obiter lustranti patet. Nam ipsius Plini ingenio lumina illa deberi ideo negandum est, quod, ut Jahnius l. l. p. 121 obseruat, talibus locutionibus,

---

1) cf. VII, 623 epigramma Aemiliani:

Ἕλκε, τάλαν, παρὰ μητρὸς ὃν οὐκέτι μαζὸν ἀμέλξεις,
ἕλκυσον ὑστάτιον νᾶμα καταφθιμένης.
ἤδη γὰρ ξιφέεσσι λιπόπνοος· ἀλλὰ τὰ μητρὸς
φίλτρα καὶ εἰν Ἀΐδῃ παιδοκομεῖν ἔμαθεν.

qualibus utitur Plinius: „dictus est, iudicatur, uidentur, deprehendunt, in quo possit intellegi, laudatur, plurimi dixere, spectatur, narrata est, ut creditur“ dilucide aliena eorum origo proditur. Ex uersibus Graecis autem ea petita esse ipse Plinius hic illic videtur indicare. Sic dicit 34, 57 Myronem maxime nobilitatum esse bucula celebratis uersibus laudata: uersus Graecos de Apellis Venere commemorat 35, 91; uolgatos iam pridem sales etiam carminum esse queritur 35, 4; ex carminibus Erinnae efficit Myronem fecisse cicadae ac locustae monumentum. Horum epigrammatum uero unde notitiam hauserit Plinius, id pergratum accidit, ut coniectura assequi possimus admodum certa. Atque ex diuersis quidem, quae furunt, poetarum editionibus ipsum Plinium ea conquisiuisse uero perquam dissimile est, qua in re neminem nobis oblocuturum esse confidimus. Neque autem Philippi coronam tractauit, quippe quae — haec enim est Jacobsi coniectura in prolegomenis p. 46 proposita vix digna hodie, quae coniectura putetur — sub finem primi p. Ch. n. saeculi, igitur post Plini obitum condita sit. Hinc intellegitur et cur nihil audiamus a Plinio de eis monumentis (ueluti de Timomachi Medea), quae identidem in Philippi corona celebrabantur, et cur nolint prouenire ex anthologia, quae cum Plini verbis omnibus numeris concinant, sed sola fere, quae demonstrant Plinium ipsis uetustiora, etsi simillima ante oculos habuisse. Sed abhorret etiam ab omni uerisimilitudine uastam ab eo Meleagri coronam lectitatam esse, ut ex indiscreto diuersissimorum carminum congestu poetarum quaedam dicteria redundarent nonnullis artis operibus describendis utilia. Talem operam suscipiebant, qui in describendis monumentis de industria studia collocabant, non suscepit Plinius aliis disquisitionibus magis intentus et de artificum artisque historia raptim acturus. An ulla, si suscepisset, ratio exputatur, cur, cum reliquos fontes in indicibus suis recensuerit gloriosa fere cum diligentia, solam Meleagri coronam misere neglexerit? Inspexit igitur aliquem scriptorem, qui cum de insignibus monumentis inquisiuisset, in eorum recensu

nobilissima quaeque epigrammata aut integra exhibuit, aut eorum sales excretos. Hic uero ille scriptor Meleagro iunior esse debuit. Iam cum Plinius in indicibus librorum 33—36 Pasitelem nominet, Pompei Magni aequalem, eiusque quinque libros mirabilium uel nobilium operum, quid, quaeso, uerisimilius quam (quod Jahnius aliam ob caussam p. 124 coniecit) Pasitelem talem epigrammatum congeriem instituisse? Vt iam Archelaus Chersonesita epigrammata collegerat in libris Ἰδιοφυῆ siue Θαυμάσια siue παράδοξα inscriptis (cf. Heckerum p. 17. 18), quem multi postmodo imitabantur [1]).

Philodemo Gadareno nullus, ut ait Jacobsius in catalogo poetarum p. 936, coronae Philippi poeta propius aberat a Meleagri aetate. Eius est Plan. 234 satis superque obscurum:

Τρισσοὺς ἀθανάτους χωρεῖ λίθος. ἁ κεφαλὰ γὰρ
μανύει τρανῶς Πᾶνα τὸν αἰγόκερων.
στέρνα δὲ καὶ νηδύς, Ἡρακλέα· λοιπὰ δὲ μηρῶν
καὶ κνήμης Ἑρμῆς ὁ πτερόπους ἔλαχεν.
θύειν ἀρνήσῃ, ξένε, μηκέτι. τοῦ γὰρ ἑνός σοι
θύματος οἱ τρισσοὶ δαίμονες ἀπτόμεθα.

Qvintvs Mvcivs Scaevola, amicus ille Quinti Ciceronis quocum a. u. 695 in Asia erat (uide peculiarem de eo Haupti dissertationem in Berichte der sächs. Gesellsch. der Wiss. 1848 p. 40 sequ.) in Philippi corona locum tenebat. Confecit epigramma IX, 217, quod G. Hermannus (vide Hauptium l. l. p. 54) intellexit spectare ad imaginem, in qua capellae circa Panis simulacrum lusissent.

Archiae, cuius nulla sunt in partibus coronae Philippi, carmina uidentur ex peculiari quadam collectione in Constantini Cephalae anthologiam recepta esse. XV, 51 de Caly-

1) Briegerus de fontibus Plini etc. p. 54 colligit ex noto illo Plini errore de Myrone — quippe quem Graecus auctor committere nequiuerit — Plinium ipsum legisse anthologias. Num uero soli Romani festinanter legebant? Nonne Pasiteles, qui Plinio epigrammata praebuisse ponitur, Erinnae epigramma uel aliam ob caussam exhibere potuit?

donio apro ex aere ducto, Plan. 179 de Apellis Venere anadyomena, X, 7. 8 de Priapo, IX, 750 de bouibus in lapide scalptis, VII, 696 de Marsya ab arbore pendente, Plan. 94 de Hercule leonis interfectore, omnia illa *Ἀρχίου* inscripta (VII, 696 tantum Archiae Mitylenaeo tribuitur) ab uno eodemque poeta et quidem Archia celebri illo poeta Antiocheno repetenda sunt. In omnibus imitatorem deprehendis ad uulgarem epigrammatum demonstratiuorum stilum se applicantem.

Marcvs Argentarivs sub Augusto Romae floruit, ut omnes, quos nunc recensebimus, in Philippi corona erat. E Cesti schola (secundum Eusebium circa Ol. 191, 4 florentis) euasit Graecus rhetor, qui nunquam nisi latine declamauit (cf. Senec. controu. p. 265, 18 ed. Burs.). Eius est IX, 221 in Amorem leonibus uectum, IX, 732 in Myronis buculam, Plan. 241 in Priapum.

Ab Erycio Cyziceno eleganti poeta, qui haud dubie Augusti aetate floruit, ni omnia fallunt, confecta sunt IX, 237 de Hercule[1]), Plan. 242 de Priapo prope Lampsacum posito.

Alphevs mitylenaevs Romae vixit, Antipatri Thessalonicensis propter epigramma IX, 408 reprehensor, aequalis Ploti Macrini illius, quem ex altera Persi Flacci satira nouimus (cf. O. Jahnium in musei Rhenani tomo IX p. 626). Eius est Plan. 212 de Amore dormiente, quod imitatus est Statyllivs Flaccvs epigrammate Plan. 211.

Tvllivm Geminvm Otto Jahnius ibidem perspexit consulem illum fuisse a. u. 772, quem Borghesius nitens inscriptione edita a Marinio de fratr. aru. p. 72 restituit Tacito in ann. XIV, 50 (cf. annal. del inst. XXI p. 63.). Pauca tenuis ille

1) In huius epigrammatis uersu tertio quam subesse nobis persuasimus corruptelam ita remouemus:

α) *Βουκόλε, πρὸς τῶ Πανός, ὁ φηγινός, εἰπέ, κολοσσὸς*
οὗτος, ὅτῳ σπένδεις τὸ γλάγος, ἔστι τίνος;
β) *τῶ λειοντοπάλα Τιρυνθίω. οὐ κλυτὰ τόξα,*
νήπιε, καὶ σκυτάλην ἀγριέλαιον ὁρῇς; κ. τ. λ.

οὐ δὲ τὰ Palat. Corruptela eiusque medicina orta est, cum oscitanter scriptum esset: *οὐκ λυτά.*

lingulaca nobis reliquit, inter quae sunt Plan. 205, VI, 260 de Praxitelis Amore, IX, 740 de Myronis bucula, Plan. 103 de tristi Lysippi Hercule. Ex eiusdem Tulli Gemini epigrammate Plan. 30 hocce:

Χείρ με Πολυγνώτου[1]) *Θασίου κάμεν, εἰμὶ δ' ἐκεῖνος*
Σαλμωνεύς, βρονταῖς ὃς Διὸς ἀντεμάνην,
ὅς με καὶ εἰν Ἀΐδῃ πορθεῖ πάλι, καί με κεραυνοῖς
βάλλει, μισῶν μου κοὐ λαλέοντα τύπον.
ἴσχε, Ζεῦ, πρηστῆρα, μέθες χόλον· εἰμὶ γὰρ ἄπνους[2])
ὁ σκοπός· ἀψύχοις εἰκόσι μὴ πολέμει,

Brunnius tomo I p. 217 et tomo II p. 26 imputauit Polygnoto pictori — de quo stupeant etiam mythologi — tabulam Salmonei in Orco Iouis fulmine percussi. Verum hoc dicitur: Salmoneus mortuus a Ioue denuo percutior, scilicet manu pictoris perpetuantis tormenta fortunae meae. Sic in epigrammate Plan. 137 Medea picta uituperatur *ἀεὶ διψᾶν βρεφέων φόνον*, in epigrammate Plan. 87 Prometheus uinctus queri fingitur de statuariorum iniuria, qui *ἀντ' εὐεργεσίης* ipsi *ἄλληκτον πῆμα* exanclandum tribuant; in titulo inter rudera ueteris Sinuessae reperto (corp. inscr. III p. 796 u. 5956) Veneris statua de se loquitur: *ξεῖνε, πάλιν πελάγους βλέψον ἀνερχομένην.* Neque *καὶ εἰν Ἀΐδῃ* locutio solitaria est. Nam a Leonida Tarentino in epigrammate VII, 408 dicuntur Hipponactis *πεπυρωμένα ῥήματα πημαίνειν καὶ εἰν Ἀΐδῃ*; ab Aemiliano in epigrammate VII, 623 de imagine infantis ad matris morituræ mammam adrepentis laudantur *τὰ μητρὸς φίλτρα παιδοκομεῖν καὶ εἰν Ἀΐδῃ.* Simillima habes in VII, 178, 4; 393, 4. Theocrit. idyll. 1, 103, corp. inscr. III n. 6270 a 10. Eadem ui ponuntur verba *οὐδὲ θανόντες* in VII,

1) *Πολυκλείτου* Planudes, nec tamen cum Brunnio de poetae (qui sat literata aetate uixit) sed de librariorum ignorantia cogitandum est.

2) *εἰμὶ γὰρ ἄπνους* uerba eadem in sede hexametri posuit in epigrammate apud Athenaeum p. 318 b Callimachus, qui quantopere lectitatus sit uel ex talibus minutiis planum fit, cf. Dioscoridis uerba in epigrammate IX, 734 *ἔστι γὰρ ἄπνους.*

730, 8 et κὴν Ἀχέροντι in VII, 396, 3. Atque Heynius hariolatur, qui a Tullio Gemino significari ait „signum Salmonei fulmine tactum“ in commentario ad Apollodorum p. 59 editionis tertiae, item in excursu XII ad Virgili Aeneidos librum VI.

Diodori Grammatici Tarsensis, cuius epigrammata Weigandius p. 544 a Diodori Zonae Sardiani stricte secreuit, IX, 776 commemorari debet scriptum de scalpta in crystallo a Satureio Arsinoae imagine, quae ad gratiam picturae Zeuxidis accedebat, non dubium enim, quin versu tertio γλύψας pro γράψας legendum sit.

Crinagoras Romae Augusti temporibus fuit. Habemus ab eo Plan. 199 de Amore uincto, Plan. 273 de imagine Praxagorae, siquidem uerum lemma epigrammatis. Plan. 40 falso aperte Planudes de Crispi imagine interpretatus est, ac ueremur ne idem acciderit epigrammati Plan. 61, quod idem dicit in imaginem conditum esse Neronis.

Apollonidae, qui Romae degit sub Augusto et Tiberio, mere amatoria uidentur Plan. 49. 50; contra Plan. 239 agit de Priapi apud Gratiarum templum genubus innixi statua, Phylomachi, uel potius Pyromachi opere, cf. Brunnium I, p. 443.

Antiphilvs Byzantivs post annum 717 a. u. scripsit epigramma VII, 379, ac fortasse epigrammate IX, 178 celebrauit libertatem Rhodiis a Claudio Nerone restitutam (cf. Tacit. Ann. XII, 58). Epigrammata VI, 199 quod fecit cum Εἰνοδίῃ ex itinere redux pileum dedicaret; X, 17, e quo intellegitur nauigationem instituturus; IX, 546 quod nauigantis oblectamenta festiue adumbrat, demonstrant poetam multum peregrinatum esse. Atque Euripum fluctus reciprocantem celebrauit epigrammate IX, 73; de Protesilai tumulo agit VII, 141; nec audaciores nobis uidemur, si Eleusiniis sacris initiatum agnoscimus ex epigrammate IX, 298. In Italia autem et Romae degisse eum (qualia indicia apud omnes fere horum temporum poetas reperiuntur) planum fit et ex admiratione portus Iuli

Romaeque perspicua ex epigrammate VII, 379, et quod Neronis (cuius ambigitur), Sabini, Agricolae nomina profert, praeterea *δέσποτιν* et *ἄνασσαν* quandam in epigrammatis VI, 250. 252 alloquitur, cuius etsi nomen ignoratur, condicio tamen sine ullo dubio cum Caesaris domo coniuncta erat. Eius ut omnia fere poematia felix atque elegans iudicium produnt, ita quae de imaginibus quibusdam scripsit, melioribus demonstratiui generis facile adnumerari debent. Ac Ledae quidem picta imago caussa erat amatori acuminis, quod nitet in epigrammate V, 307; IX, 156 non possumus nisi de picta equi Troiani imagine interpretari; Plan. 136 est de Medea Timomachi, quam Caesar Romae dicauerat, Antiphilus procul dubio ipse uidit; Plan. 147 Andromedae de rupe descendentis et Persei imaginem describit. Haec imago fortasse erat grandis illa Niciae pictura (uide Plin. 35, 132), quam suspicionem Heynius in commentationum Gottingensium tomo X p. 3 praeparauit.

Bianoris Bithyni, qui Sardes terrae motu a. u. 770 calamitosas uidit atque tempora Leonidae Alexandrini attigisse nobis uidetur (cf. VII, 547), unum Plan. 276 nos tangit hocce:

Ἔστησεν Περίανδρος Ἀρίονος εἰκόνα ταύτην,
καὶ τὸν ἀπολλυμένῳ σύνδρομα νηξάμενον
εἰνάλιον δελφῖνα, λέγει δ' ἐπ' Ἀρίονι μῦθος,
κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.

Eadem fortasse, ut Iacobsius monet, hominis in delphino sedentis statua, quam ad Taenarum ab ipso Arione positam fuisse tradit Herodotus 1, 24, commemorat Pausanias 3, 25, 7, cui inscriptum fuisse auctor est Aelianus in histor. anim. 12, 45 (cf. Bergk. lyr. p. 662) hocce epigramma:

Ἀθανάτων πομπαῖσιν Ἀρίονα, Κύκλονος υἱόν,
ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

quae fuit aut ficticia inscriptio aut nouicia.

Antisti Sosiani, qui sub Nerone tribunus plebis, deinde praetor factitatis in Neronem probrosis carminibus (Tac. ann. 14, 48) exilio multatus est, paucula quaedam habemus, inter quae nitet non sua sed exemplaris gratia Plan. 243 de Priapo.

Parmenionis Macedonis eorumque qui sequentur poetae Philippici, aetas propius definiri nequit. Eius sunt Plan. 222 de Nemesi Rhamnusia, Plan. 216 de Polycleti Iunone.

Addaei Macedonis epigramma IX, 544 agit de Galena Tryphonis in beryllo scalpta. Aemilianvs Nicaeensis fecit VII, 623 de Aristidis tabula infantem exhibente ad moriturae matris mammam adrepentem; IX, 756 de Praxitelis Silenis, qui Romae erant in Asini Poljonis monumentis (uide Plinium 36, 23). Qvinti Maeci est IX, 249 de Pane, Plan. 198 de Amore uincto:

Κλαῖε, δυσεκφύκτως σφιγχθεὶς χέρας, ἄκριτε δαῖμον,
κλαῖε μάλα, στάζων ψυχοτακῆ δάκρυα,
σωφροσύνας ὑβριστά, φρενοκλόπε, ληστὰ λογισμοῦ,
πτανὸν πῦρ, ψυχᾶς[1]) τραῦμ' ἀόρατον, Ἔρως.
θνατοῖς μὲν λύσις ἐστὶ γόων ὁ σός, ἄκριτε, δεσμός·
ᾧ σφιγχθεὶς κωφοῖς πέμπε λιτὰς ἀνέμοις.
ὃν δὲ βροτοῖς ἀφύλακτος ἐνέφλεγες ἐν φρεσὶ πυρσόν,
ἄθρει νῦν ὑπὸ σῶν σβεννύμενον δακρύων.

Polemonis Regis siue patris siue fili IX, 746 de iaspide quae septem boues repraesentabat, XI, 38 de anaglypho, in quo erat pera, corona, caluaria, cuius epigrammatis ultimum distichon extat hodie in gemma (cf. Welckerum in musei Rhenani tomo III, p. 245. O. Iahnium in Archäol. Beitr. p. 139, corp. inscript. IV n. 7298). Secvndi Tarentini est Plan. 214 de Cupidinibus deorum arma gestantibus, quod epigrammate Plan. 215 Philippus imitatus est.

His subiungamus Philippvm Thessalonicensem, quem Romae uixisse nulla caussa suppetit, ut negemus. Multa lusit de artibus, sed cum imitandi arte magis quam ingenio conspicuus fuerit (imitabatur autem Leonidam Tarentinum, Antiphilum, Tullium Geminum, Diodorum Zonam, Bianorem — cf. Plan. 137 et IX, 259, 4 — aliosque): ubi uere suus uidetur, cautissime adhibendus est. Eius sunt VI, 259 de Hermogenis Herma,

1) *ψυχᾶς πῦρ, τρ. ἀόρ.* Plan., quo omnis et sensus et metri elegantia pessundatur.

Plan. 25 in Damostrati statuam, Plan. 52 in Heram Laodicensem athletam, IX, 709 de Eutychidis Eurota, IX, 742 in Myronis uaccam, IX, 777 in equum aheneum Lysippi, quem Romae fuisse, cum postea Byzanti fuerit (cf. Nicet. Choniat. p. 861 ed. Bonn.), est quod suspiceris, Plan. 81 in Phidiae Iouem, Plan. 93 in Herculis labores (a Lysippo repraesentatos? qui Romae fuerunt cf. Strabonem X p. 459, 21), Plan. 104 in Lysippi Herculem armis spoliatum ac tristem, ut apparet ex archetypo Tulli Gemini Plan. 103, Plan. 137[1]) in Medeae imaginem a Timomacho pictam, ad quam sine ulla haesitatione referimus etiam Plan. 141, in quo, cum expressum sit ex Leonidae epigrammate IX, 346, argumenti exaggeratio nullius offensionis est, Plan. 193 de Mercurio, Plan. 215 de Amoribus deorum arma gestantibus, Plan. 240 de Priapo.

Leonidas Alexandrinus, frigidissimus ille *ἰσοψήφων* fabricator, qui sub Nerone Romae degit, non uidetur in Philippi corona fuisse cf. Weigandium p. 564. Eius est IX, 346 de hirundine, quae nidum struxerat in Medeae imagine, a Timomacho nimirum picta; ac quanam alia de re agit epigramma IX, 354 nisi de Aiacis imagine ab eodem Timomacho picta? Eidem Leonidae dandum est XI, 213 de Menodoti imagine, dandum uidetur Plan. 171 de Venere armata.

His examinatis ut singula sub unum aspectum subiciamus: uetustiora epigrammata ad unum

1) Huius epigrammatis initium macula deformatum hunc fere in modum restituendum est:

Τίς σου Κολχὶς ἄθεσμε, συνέγραφεν εἰκόνι θυμόν;
τίς καὶ ἐν εἰδώλῳ βάρβαρον εἰργάσατο;
Ἀρ' αἰεὶ διψᾷς βρεφέων φόνον; ἦ τις Ἰήσων
δεύτερος, ἢ Γλαύκη τις πάλι σοι πρόφασις;

αἰεὶ γαρ Planudes. Sed Ausonius epigrammate 130 haec sic reddit:

Quis te pictorum simulauit, pessima Colchis,
in natos crudum uoluere mente nefas?
Usque adeone sitis puerorum haurire cruorem,
ut ne picta quidem parcere caede uelis?
Numnam te pellex stimulat? numne alter Iason,
altera uel Glauce sunt tibi causa necis?

omnia inscriptiones fuerunt; Erinna enim cum sub Alexandri Magni tempora uixerit, cum quae sub Eueni, item quae sub Platonis nomine feruntur epigrammata demonstratiua ad Philippi coronam reuocanda sint, cum epigramma quod Antimacho tribuitur, immerito ei tribuatur, epigramma quod Praxitelis fertur, seriori tempori debeatur, tota haec epigrammatum demonstratiuorum ars ante Alexandri Magni tempora factitata non esse censeri debet. Sed mox coeperunt poetae liberius de artibus ludere; cyclum quendam epigrammatum de insignibus pictoribus, ut erant alii de aliis uiris laude praeclaris, olim extitisse liquet ex reliquiis, quae nobis seruata sunt; quot carmina de artibus facta in Meleagri corona fuerint, apparet ex eis locis historiae Plinianae, qui reddunt sales carminum a Pasitele in quinque libris nobilium operum compositorum. Nobis tamen plura aut saltem quae tritiorem artem produnt seruata sunt ex Philippi corona, cuius poetas, cum maxima ex parte Romae degisse partim sciamus partim iure suspicemur, ubi ueterum poetarum inuenta non retractent, uerisimile est monumenta describere, quae Romae fuerint. In hisce autem epigrammatis fere omnibus tanta regnat uniformitas, tam late patet expilandi usus et libertas, ut qui eis in historia artis utatur, ei maxime cauendum sit, ne peculiares artis operum descriptiones expiscari uelit ex sententiis, quae nihil peculiare contineant, neue eis poetis, qui aliis licentius imitabantur, uelut Antipatro Sidonio, Archiae, Philippo Thessalonicensi plus tribuat quam tribuere debeat.

II.

Sed hisce iam attigimus alteram scriptionis partem, in qua paucis exponamus qui debeat ex proposita materia fructus redundare in artis artificumque historiam. Ante omnia ei, qui epigrammatis illis utitur, id agendum est, ut plene utatur. Sed delitescunt in anthologia ad hunc diem, quae ad artis opera referenda esse aut omnino nondum dispectum, aut ad qualia, nondum perspectum est. Neque ipsi spondemus eis, quae proferemus, omnem hanc materiam exhaustum iri; cum enim in anthologia multa adhuc felicem interpretem expectent, facile fieri poterit, ut plus etiam epigrammatum, quae ad artes spectant, et augeatur numerus et corrigatur intellectus. Quae autem repperisse nobis uidemur — quoniam dudum a uiris doctis adhibita sunt ea epigrammata, in quibus artifices nominantur, genus ratioque monumentorum plane exponuntur — ea collectu procliue est talia esse, ut coniectura nitantur. Sed tales coniecturae et debent fieri neque ita infirmae sunt, ut primo aspectu uidentur. Debemus enim, etsi exigua est materia, quam habemus de antiquae artis historia, componere quae similia sunt, in quo si forte erramus propter materiae exiguitatem, uia atque ratione erramus. Atque cum aliunde nota sint plurima monumenta quae epigrammatis celebrantur una cum artificibus, ut optima, non prima quaeque poetis placuisse appareat, uel ea epigrammata, in quibus artifices retcentur ad nobiles notasque artes reuocare non est, cur dubitemus. Id in Philippicis potissimum poetis licet, qui

in artibus celebrandis non tam suum, quam Graecorum iudicium uarie fama factum et traditum secuti sunt.

1. Thespiadas Praxitelis (Plin. 34, 69, Brunn. I p. 342. 546) Lucius Mummius, cum Thespiis Romam asportasset (Cic. in Verr. IV, 2, 4), L. Licinio Lucullo tradidit, qui eas dicauit ante aedem Felicitatis, quam aedificabat in Hispania uictor (Cic. ib., Strabo VIII p. 381, Dio Cass. fragm. 81 Peiresc.). Ibi sitae fuere Plini tempore (Plin. 36, 39); unam illarum amauit eques Romanus Iunius Pisciculus, ut tradidit Varro, admirabatur et Pasiteles, qui et quinque uolumina scripsit nobilium operum in toto orbe (Plin. ib.). Eas autem fuisse Musas, quae Thespiis in honore fuerint, quod fuerunt, qui opinarentur (uide Halmium ad Cic. Verr. 2, 4, Urlichsium ad Plin. 36, 39), id nobis persuadere nequimus. *Θεσπιάδες* enim nusquam uocantur Musae, ac cultus Musarum prope Thespias potius in monte Helicone, non ipsis Thespiis florebat, neque intellegitur, cur detrectata simplici Musarum appellatione magis placuerit doctum uel potius prorsus insolitum Thespiadum nomen. Multo nobis quidem probabilius uidetur Thespiadas illas (uide Stephanum Byzantium s. u. *Θεσπίεια*) feminas Thespienses fuisse, caerimonia aliqua coniunctas, nimirum saltantes. Iam cum — ut apud Troezenios (Paus. 2, 31, 5) et prope Amymonem flumen Argolidis (Paus. 2, 37, 2) — ita Thespiis *Διονύσου Σαώτου* simulacrum fuisse Heckerus p. 180 iure coniecerit, quid quaeso uerisimilius quam ad Thespiadas illas spectare hoc Antipatri epigramma IX, 603:

Πέντε Διωνύσοιο θεραπνίδες αἵδε Σαώτεω
ἐντύνουσι θοᾶς ἔργα χοροστασίας.
ἁ μὲν ἀερτάζουσα δέμας βλοσυροῖο λέοντος,
ἁ δὲ Λυκαόνιον[1]) *καλλίκερων ἔλαφον·*
ἁ τριτάτα δ' οἰωνὸν εὔπτερον· ἁ δὲ τετάρτα
τύμπανον· ἁ πέμπτα χαλκοβαρὲς κρόταλον,
πᾶσαι φοιταλέαι τε, παρηόριόν τε νόημα
ἐκπλαγέες λύσσᾳ δαίμονος εὐϊάδι.

---

1) *Λυκάστειον* Heckerus p. 181.

Thespiis alia quoque Praxitelis opera erant, Amoris statua, Phrynae, Veneris. Thespiis igitur Antipater (nempe Sidonius, nam de Thessalonicensi nullo iure uiri docti cogitauerunt) — aut is, quem imitabatur — Praxitelis illa signa uidit atque epigrammate descripsit, ex quo cum a Pasitele in uolumina nobilium operum receptum esset, Plinius nullum acumen elicuit, quia nullum in eo erat[1]).

2. Epigramma incerti auctoris Plan. 250:

Ὁ πτανὸς τὸν πτανὸν ἴδ' ὡς[2]) *ἄγνυσι κεραυνόν,*
δεικνὺς ὡς κρεῖσσον πῦρ πυρός ἐστιν Ἔρως.

spectat ad Cupidinem fulmen tenentem in Octauiae curia, quem Scopas an Praxiteles fecisset, dubitatum esse Plinius 36, 28 prodit[3]). Coniecturae id certe non obstat quod a Cupidine Plinius dicit fulmen teneri, auctor epigrammatis fulmen frangi. Amor in scuto Alcibiadis ab Athenaeo traditur *κεραυνὸν ἠγκυλημένος*, a Plutarcho *κεραυνοφόρος*.

3. Epigramma incerti auctoris Plan. 209:

Οὗτος ὁ τὸν δαλὸν φυσῶν, ἵνα λύχνον ἀνάψῃς,
δεῦρ' ἀπ' ἐμᾶς ψυχᾶς ἅψον· ὅλος φλέγομαι.

si mere amatorium esset, uix desideraretur, ut monuit Iacobsius tomo XI, p. 314, in membranis Vaticanis, quae non nisi eis carent carminibus, quae imagines et statuas describunt. Inscribitur *εἰς τὸν αὐτόν*, *Ἔρωτα* scilicet. Hoc epigramma imitatur auctor epigrammatis IX, 15:

---

1) Thespiadas Cleomenis (Plin. 36, 33) imitationem fuisse cognominis operis a Praxitele facti Brunnius uidit I, p. 546.

2) Sic Lobeckius ad Aiac. u. 397 p. 251 ed. sec., *ἰδὼν* Plan.; uide num praestet lenior mutatio: **ἑλών**.

3) „similiter in curia Octauiae quaeritur de Cupidine fulmen tenente, id demum adfirmatur, Alcibiaden esse principem forma in ea aetate". Verba: „in ea aetate" mira sunt, cum nec Scopas nec Praxiteles adulescentiam Alcibiadis uiderint; magis etiam mirum est quod Plutarchus Alcib. 16 et Athenaeus XII, p. 534 e tradunt Alcibiadem in scuto gessisse Cupidinem fulmen tenentem. Hic quoque neglegens fuisse Plinius uidetur.

Αὐτὸ τὸ πῦρ[1]) *καύσειν διζήμενος, οὗτος, ὁ νύκτωρ*
τὸν καλὸν ἱμείρων λύχνον ἀναφλογίσαι,
δεῦρ' ἀπ' ἐμῆς ψυχῆς ἅψον σέλας· ἔνδοθι γάρ μοι
καιόμενον πολλὴν ἐξανίησι φλόγα.

ad quod scholiasta adnotauit: *τοῦτο οὐκ ἐπιδεικτικόν, ἀλλ' ἐρωτικὸν ἐπίγραμμα*, prorsus temere. Horum igitur epigrammatum caussa erat sculptus Amor sufflans facem, idem fortasse, quem Plinius 34, 79 recenset Lyci puerum sufflantem languidos ignes; ab eius aetate certe tale argumentum alienum non erat.

4. Ad Protogenis Satyrum anapauomenon, „ne quid desit temporis eius securitati, tenentem tibias" (Plin. 35, 106) referendum est Agathiae scholastici epigramma Plan. 244:

Αὐτομάτως, Σατυρίσκε, δόναξ τεὸς ἦχον ἰάλλει;
ἢ τί παρακλίνας οὔας ἄγεις καλάμῳ;
ὃς δὲ γελῶν σίγησεν· ἴσως δ' ἂν φθέγξατο μῦθον,
ἀλλ' ὑπὸ τερπωλῆς εἴχετο ληθεδόνι.
οὐ γὰρ κηρὸς ἔρυκεν· ἑκὼν δ' ἠσπάζετο σιγήν,
θυμὸν ὅλον τρέψας πηκτίδος ἀσχολίῃ.

ad quod adnotat scholiasta: *εἰς εἰκόνα σατύρου πρὸς τῇ ἀκοῇ τὸν αὐλὸν ἔχοντος καὶ ὥςπερ ἀκροωμένου.*

5. Romae erat Polygnoti tabula, in qua dubitabatur, num ascendentem cum clipeo pinxerit an descendentem (Plin. 35, 59). Hic, Capaneus scilicet (uide Meyerum Geschichte der bildenden Künste II, p. 189, Urlichsium Chrest. Plin. p. 357), nam de alio argumento sermo esse nequit, necesse est pictus fuerit intactus Iouis fulmine. Quocum egregie conuenit epigramma Plan. 106 incerti auctoris etsi lemmate epigrammatis statua indicatur:

Εἰ τοῖος Θήβης Καπανεὺς ἐπεμήνατο πύργοις,
ἄμβασιν ἠερίην κλίμακι μησάμενος,
εἷλεν ἂν ἄστυ βίῃ καὶ ὑπὲρ μόρον. αἴδετο γάρ ῥα
καὶ σκηπτὸς Κρονίδου τοῖον ἑλεῖν πρόμαχον.

---

1) *αὖθι τὸ πῦρ* Meinekius Callim. p. 115 male; uerba sana sunt, sed inepti acuminis. Amor qui homines incendere solet, cum facem sufflet, dicitur uelle *αὐτὸ τὸ πῦρ καύσειν.*

6. Fecit Lysippvs Plinio teste 34, 63 Alexandrum Magnum multis operibus, a pueritia eius orsus; quam statuam (pueri nempe Alexandri, uide Urlichsium ib. p. 321) inaurari iussit Nero princeps delectatus admodum illa. Hac excitatum esse uidetur Plan. 122 incerti auctoris:

Τοῦτον Ἀλέξανδρον, μεγαλήτορος υἷα Φιλίππου,
δέρκεαι ἀρτιλόχευτον, Ὀλυμπιὰς ὅν ποτε μήτηρ
καρτερόθυμον ἔτικτεν· ἀπ' ὠδίνων δέ μιν Ἄρης
ἔργα μόθων ἐδίδαξε, Τύχη δ' ἐκέλευσεν ἀνάσσειν.

7. Leonidas Alexandrinus, qui in Medeam Timomachi scripsit IX, 345. 346 exaggerato argumento, uidetur in Aiacem eiusdem artificis composuisse IX, 354:

Ὃν πόλεμος δεδιὼς οὐκ ὤλεσε, νῦν ὑπὸ νούσου
θλίβομαι, ἐν δ' ἰδίῳ τήκομ' ὅλος πολέμῳ.
ἀλλὰ διὰ στέρνων ἴθι φάσγανον· ὡς γὰρ ἀριστεὺς
θνήξομ' ἀπωσάμενος καὶ νόσον ὡς πόλεμον,

nam simile sed aliud est argumentum epigrammatum VII, 233. 234.

8. Ad magnam illam quae Romae erat statuam Herculis cum leone pugnantis (cf. Ouidium a. am. II, 67 Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra, Cum sol Herculei terga leonis adit) eandem ni fallimur quam postea Byzanti admirabantur (Nicet. Chon. de sign. Constant. p. 861 3 ed. Bonn.) spectare uidetur Plan. 95 Damageti

Ἐκ Νεμέης ὁ λέων· ἀτὰρ ὁ ξένος Ἀργόθεν αἷμα,
πολλὸν ὁ μὲν θηρῶν πρῶτος[1]*, ὁ δ' ἡμιθέων.*
ἔρχονται δ' ἐς ἀγῶνα, καταντίον ὄμμα βαλόντες
λοξὸν ὑπὲρ ζωᾶς καὶ βιοτᾶς σφετέρας.
Ζεῦ πάτερ, ἀλλ' εἴη τὸν ἀπ' Ἄργεος ἀνέρα νικᾶν,
ἐμβατὸς ὡς αὖ[2] *τοι καὶ Νεμέα τελέθοι.*

1) *μείζων* Plan. Iacobsius: „superlatiuum lectum fuisse non dubito". cf. corp. inscr. 1 p. 190 n. 201, ubi sic legendum uidetur:

ἦ ῥ' ἐτύμως τόδε σᾶμα λεόντε (σιν εὖ πεφύλακται)
οἳ μὲν γὰρ θηρῶν φέρτατοι, οἳ δὲ βροτῶν.

uide Hermannum in opusc. 5 p. 176. — VII, 344: *Θηρῶν μὲν κάρτιστος ἐγώ, θνατῶν δ' ὃν ἐγὼ νῦν φρουρῶ* etc. VII, 161, 4. VII, 426, 4.

2) *ἂν* Plan. Eadem sententia requiritur atque in Plan. 94 uerbis: *μηκέτι* et *πάλιν* indicata.

9. Ad talem Herculis ebrii statuam qualis repraesentatur in „Specimens of Ancient Sculpture" uol. 2 pl. 31. 32 (uide Welckerum Alte Denkmäler 2, p. 415) referendum est Plan. 99:

Οὗτος ὁ πανδαμάτωρ, ὁ παρ' ἀνδράσι δωδεκάεθλος
μελπόμενος, κρατερῆς εἵνεκεν ἠνορέης
οἰνοβαρὴς μετὰ δαῖτα μεθυσφαλὲς ἴχνος ἑλίσσει,
νικηθεὶς ἁπαλῷ λυσιμελεῖ Βρομίῳ.

10. Quod proferunt Athenaeus IV, p. 163a et Eustathius ad H. Il. *B*. p. 216 Mnasalcae Sicyoni epigramma (Append. 53):

Ἅδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρετὰ παρὰ τῇδε κάθημαι
Ἡδονῇ, αἴσχιστως κειραμένα πλοκάμους,
θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, εἴπερ ἅπασιν
ἁ κακόφρων Τέρψις κρεῖσσον ἐμοῦ κέκριται.

ad monumentum tendere arbitramur allegoricum, qualia ex Sicyonia potissimum schola prodierunt.

11. Antiphili epigramma Plan. 147 corruptissimum agit de Andromeda in Aethiopiorum terra post pugnam cum ceto una cum Perseo picta. Hanc Niciae Andromedam fuisse putamus quae fuit grandis tabula (Plin. 35, 132). Contra Plan. 148 Arabi Scholastici ad talem Andromedam spectat quae fuit illa ab Achille Tatio 3, 6 descripta.

12. De imaginibus interpretamur epigrammata IX, 299 Philippi Thessalonicensis et IX, 347 Leonidae Alexandrini et IX, 156 Antiphili Byzanti.

Vt uno autem uerbo complectamur rationem, qua debeamus uti epigrammatis: epigrammatum auctores tractandi sunt non ut historici sed ut poetae.

Itaque eis quae semper redeunt exaggerationibus poeticis nulla usquam fides habenda est. Nempe inde ab eis temporibus, quibus ludere de artibus coeptum est, usque ad Byzantinorum tempora nihil frequentius et cultius quam de quouis monumento aut fictione aliqua assumta aut mera laude praedicare ueritatem. Sic, ut paucula quaedam delibemus, Erinna picturae Agatharchidis nihil deesse nisi uocem profitetur, Nossis Thymaretae dominae imagine canem domesticam decipi fingit, Anyta Panem sculptum alloquitur quasi uerus

esset. Leonidas Tarentinus Anacreontis ebrii statuam describit, quasi ipsius Anacreontis ebrietas conspicua esset. Alexander Aetolus Veneris statuam ab ipsa Minerua factam esse praedicat. Diotimus Dianam ex aere fusam laudat esse ipsam Iouis filiam. Alcaeus Messenius ex Amore uincto quaerit, quis uinxerit. Damagetus Herculis cum leone pugnam non describit sculptam, sed ueram quasi sub oculos ponit. Ac ne commoremur in innumerabilibus illiusmodi facetiis, quae in Philippi corona frequentabantur, Agathias Scholasticus Maenadis statuam remotis arbitris cymbala plancturam esse asseuerat, Iulianus Promethei uincti signum de statuariorum iniuria queri facit, Arabius Scholasticus dubitat num picta sit Andromeda. Igitur in hac poetarum consuetudine negandum est ullum discrimen obseruatum esse, ex quo aliquid lucis prouenire possit aut in diuersos artifices describendos aut in eorum opera. Onatas Apolline, Myron bucula, Phidias Ioue, Polycletus Iunone, Scopas Maenade, Praxiteles Venere, Lysippus Alexandri statuis, Polygnotus Salmoneo, Apelles Venere, Parrhasius Philocteta, Timomachus Aiace summam omnes ueritatem adepti esse efferuntur. Neque inde, quod laudes illae uehementius in hoc artifice fiunt quam in illo, quidquam omnino concludi potest. Quam casu hoc fieri potuerit, demonstrant Myronis buculae celebrationes; hic monumenti ipsius praestantia poetis nihil ualuit, sed quod uariam tractationem admisit. Ita alius alium exsuperabat ineptiis, ut nunc triginta sex epigrammata supersint, ex quibus nihil omnino discas[1]). Nam quod Brunnius I, p .148, quia bucula compluries ἔμπνοος dicitur, ut Ladas eiusdem Myronis in epigrammate Plan. 53, et sola basi retineri, inde ueritatem quandam deriuare uoluit Myroni peculiarem, cum tales sententiae et locutiones fre-

1) Quo auctore Brunnius I, p. 145 asseueret: „Zu Cicero's Zeiten befand sich das Werk noch auf der Pnyx zu Athen (in Verr. IV, 60)", prorsus nos fugit. Num deceptus Böttigeri uerbis sat leuibus illis quidem in „Andeutungen zu 24 Vorträgen" p. 145: „Uebrigens wissen wir aus Cic. Verr. IV, 60, dass diese Kuh zu seiner Zeit noch auf dem grossen Platz von Athen zu sehen war." ?

quentes sint, nihil omnino ualet[1]). Si Phidiae aut Praxitelis fuisset uacca illa, eandem cantilenam haberemus. Hae uero epigrammatum laudes cum multum tribuerint uniuersae quae fuit antiquitus de Myronis praestantia opinioni, plus ponderis quam adhuc fit dandum est eis antiquitatis iudiciis, quae Myronem minus probabant. Non iniuria certe Plinius ait, ubi commemorat Myronis buculam celebratis uersibus laudatam, alieno plerosque ingenio magis quam suo commendari.

Atque cum sciamus quantopere in hoc potissimum epigrammatum genere imitatio ualuerit, eis potissimum poetis credendum est, quos plus minusue certo suspicari licet monumenta celebrata ipsos uidisse; manifestae imitationes prorsus abiciendae, quae uidentur cautissime adhibendae sunt, item epigrammata, quorum auctores ignorantur, nisi dilucide bonae notae esse apparent. Sic si quid lucri fieri posset ex multis illis nugis de Myronis uacca, Leonidae epigrammati plus daremus quam reliquis fere omnibus, Antipatri Sidoni epigrammatis diffideremus[2]), caute epigrammatis Eueni et Antipatri Thessalonicensis, si eius sunt IX, 728, 729 uteremur; ex eis uero quae incerti auctoris sunt, duo secerneremus IX, 715. 714, in quibus dicitur uacca *ἐπὶ στήλης* et *παρὰ βωμοῖς* et prope *μέγαρον* posita esse, qualia imitatores non comminiscuntur. Sic inter epigrammata quae Apellis Venerem nobilitant, soli fere epigrammati Plan. 182 Leonidae Tarentini auctoritas habenda est; sed eo plene uti possumus neque id solum eliciendum est ex eo (ut fecit Brunnius II, p. 205) quod crines

1) Plato epigrammate IX, 747, Polemo epigrammate IX, 746 scalptas boues dicit *ἔμπνοα βοσκομένας*. Habes *ἔμπνοα ἀγάλματα* in Plan. 354. *Ἔμπνους* praedicatur Lysippi equus in Michaeli epigrammate n. 52 app. cf. *λίθον πνείοντα* IX, 159, *πνεῦμα βαλοῦσα λίθῳ* IX, 526, *ἐνεψύχωσε δ' ὁ γλύπτας τὸν λίθον* IX, 774, multa alia. Eadem de basi retinente sententia est in IX, 756, Plan. 25, consimilis in IX, 544. 746. 747.

2) Hinc iudicanda est Boettigeri sententia qui prorsus pro arbitrio ex Antipatri Sidoni IX, 724 et IX, 728 apparere putat uaccam a Myrone exhibitam fuisse mugientem.

digitis siccauerit, sed etiam quod fuerit *κάλλος ἱμερώτατον* cuius *εὖ δ' ὀμμάτων γαληνὸς ἐκλάμπει πόθος καὶ μαζός, ἀκμῆς ἄγγελος, κυδωνιᾷ.* Dubia uis uideri epigrammatis Democriti potest (id cum interpositum sit inter epigrammata de Apellis Venere, necessario ad eandem spectat, quod immerito addubitauit Brunnius II, p. 205), quoniam quis fuerit Democritus, quo tempore uixerit ignoratur, nisi quod a Diogene Laertio laudatur Democritus quidam epigrammatum poeta *σαφὴς καὶ ἀνθηρός.* Sed cum Venus a Democrito exhibeatur *γυμνὴ* (u. 2) et tamen *στέρνα μόνον φαίνουσα*, igitur inferiore ex parte maris fluctu tecta — qualem descriptionem imperitus imitator fingere non poterat — omnino talis fuisse Venus anadyomena credenda est. Quocum egregia conspirant quae dicunt de ea Leonidas Tarentinus: *τὰν — ἐκφυγοῦσαν ἔτι*, eumque qui imitabatur Antipater Sidonius: *τὰν ἀναδυομέναν ἄρτι*, Plinius 35, 91: exeuntem e mari et Ouidius, qui Apellis Venerem deperisse uidetur — toties de ea loquitur[1]) —: Trist 2, 527:

Sic madidos siccat Venus uda capillos
Et modo maternis tecta uidetur aquis.

Ita melius etiam intellegitur, cur inferiorem tabulae partem — utpote difficillimam — corruptam qui reficeret, non reperiri potuerit Plin. 35, 91. Anacreont. 56, 9 (Bergk. lyr. p. 832) de artifice, qui Venerem disco insculpserat, dicitur:

ὃ δέ νιν ἔδειξε γυμνάν,
ὅσα μὴ θέμις δ' ὁρᾶσθαι,
μόνα κύμασιν καλύπτει.

Ex poetarum silentio nihil concludi potest. Medea picta fuit a Timomacho una cum liberis, quos perditura erat. Hanc enim liberorum praesentiam — quam negauit Panofka in ann. del inst. I, p. 244 alii ut Welckerus Kleine Schriften 3, p. 453, Brunnius p. 278 non nisi dubitanter agnouerunt — ut argumenti perspicuitas flagrabat, ita euincunt omnia quae extant monumenta ad hanc Timomachi tabulam reuocanda, insuper indicat Aetnae uersus 594:

1) cf. Friedländer, über den Kunstsinn der Römer p. 9 n. 6.

sub truce nunc ludentes Colchide nati

et quod Plutarchus de aud. poet. c. 15 Timomachi tabulam *τεκνοκτονίαν* uocat, quod omni sensu careret, si Medea sine liberis repraesentata fuisset. Et tamen omnes poetae, qui epigrammatis hanc Medeam celebrauerunt, de liberis nihil declarant, nihil certe diserte[1]). Hoc autem poetarum silentium excusatur quod omnes intenti erant acumini illi ab Antiphilo Byzantio, ut uidetur, primum prolato de duplici affectu in Medea conspicuo et quod Medea ipsa in imagine uim obtinebat primariam. Sic saltem potuit illa omissis reliquis tabulae figuris sola non modo pingi (uide Mus. Borb. VIII, 22; X, 21), sed etiam sculpi (quod efficimus ex Plan. 142 et Callistr. Stat. c. XIII, p. 34 ed. Kaiser.). — Igitur Heyni coniecturae, qui ad Dianam ab Apelle pictam, Plinio teste 35, 96, sacrificantium uirginum choro mixtam, „quibus uicisse Homeri uersus uidebatur id ipsum describentis" spectare putauit epigramma Plan. 253 incerti auctoris hoce:

α. Ἄρτεμι, ποῦ σοι τόξα, παραυχενίη τε φαρέτρη;
ποῦ δὲ Λυκαστείων ἐνδρομὶς ἀρβυλίδων,
πόρπη τε χρυσοῖο τετυγμένη, ἠδὲ πρὸς ἄκρην
ἰγνύην φοίνιξ πέπλος ἑλισσόμενος;
β. κεῖνα μὲν εἰς ἄγρην ὁπλίζομαι· ἐς δὲ θυηλὰς
εἶμ' αὔτως, ἱρῶν ἀντομένη θυέων,

id saltem non obesset, quod in epigrammate uirgines sacrificautes non commemorantur, etsi non fauet haec coniectura Welckeri suspicioni de hac imagine in ep. cycl. 1, p. 309 propositae.

1) Nam possunt quidem verba Antipatri Thessalonicensis, qui Medeam Romae uidit in Plan. 143: *εἰς παίδων ἔκλασε συμπαθίην* sic intellegi.

Otto Benndorfius de uita sua.

Natus sum Greizae Idibus Septembribus anno huius saeculi XXXVIII Augusto et Carolina parentibus. In schola Greizensi litterarum primordiis imbutus anno huius saeculi LIII ad gymnasium Plauiense transii, cui tunc Palmius rector praeerat. In eo doctissimorum praeceptorum institutione eruditus examine maturitatis absoluto coram reuerendissimo patriae consistorio Erlangam me contuli philologicis potissimum studiis operam nauaturus. Hinc exactis ter sex mensibus, ut studiorum fundamentum firmarem, Bonnam migraui, ibique per tres annos studia continuaui. Prodocentes autem audiui Erlangae Delitzschium Doederleinium Fischerum Heyderum Naegelsbachium R. Raumerum, Bonnae Brandisium Jahnium Loebellium Ritschelium Schmidtium Schopenum Springerum Sybelium Ueberwegium. His omnibus, qui studia mea auxerunt, gratias ago quam maximas, imprimis uero Ritschelio Welckero, qui me sodalem ordinarium receperunt in seminarium philologicum, cuius laude ac disciplina annum frui mihi licebat, Jahnio, qui me archaeologici seminari per sex menses seniorem esse uoluit, Schmidtio, cuius societati philologicae per ter sex menses intereram, iterum Ritschelio, qui me exercitationum epigraphicarum participem esse, item liberrime uti splendidis huius bibliothecae copiis liberaliter concessit, Ueberwegio, qui singulariter de me meritus est.

Sententiae controuersae.

I. Pausanias nullis, quae ad artis historiam pertinerent, subsidiis scriptis usus est, nisi quod ad artificum genealogias enarrandas auctores quosdam adhibuit, qui de statuariis scripsere (Paus. 5, 20, 2; 5, 23, 3; cf. Plin. 34, 68). Id uel inde patet, quod fabellam de Leaena scorto a se primo narrari putat 1, 23, 2, quam Plinius 34, 71 ex Heliodori anathematis Atheniensibus tradere uidetur.

II. In Aristotelis phys. 4, 3 p. 211 b 20 duce Themistio p. 375 b 23 legendum est: *εἰ δ᾽ ἦν τι διάστημα καθ᾽ αὑτὸ πεφυκὸς εἶναι καὶ μένειν ἐν ἑαυτῷ* (*ἐν τῷ αὐτῷ* Simplicius p. 376 a 27 et cod. F, *ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ* reliqui codices).

III. Epigramma Plan. 257 sic scribendum est:

Ἐκ πυρός, ὦ Διόνυσε, τὸ δεύτερον ἡνίδε χαλκοῦς
ἐξεφάνης· γενεὴν εὗρε Μύρων ἑτέρην. (*ἡνίκα* Plan.)

IV. Epigramma Plan. 44 in libri quarti capite, quo uiri praeclari celebrantur, non de regina agit, sed de Basilio, primus enim uersus ita exhibendus est:

Πᾶσα φύσις, Βασίλειε (*βασίλεια* Plan.), *τεὸν κράτος αἰὲν ἀείδει.* cf. IX, 686, App. 134.

V. In Euripidis Ione uersus intercidit inter 61. 62.

VI. In Senecae Rhetoris controuersia prima primi libri p. 61, 6 ed. Burs. legendum est: uidimus. P r o i c i m e a d i e c t i s uerborum contumeliis iussit, ad caelum etc. (proicimus. Adiecistis codd.).

VII. In Plauti Milite glorioso uersus 418 ed. Ritsch. Sceledro dandus uidetur.

VIII. In Ouidi her. X. uersus nonus hunc in modum scribendus est:

Incertum, uigilans an somno languida, movi cf. trist. IV, 4, 69 ex Pont. IV, 7, 23; 13, 30.

IX. Apud Plinium h. n. XXXIV, 54 quaedam interciderunt. Omnia reconcinnabuntur, si talia fere legeris: Primus hic scientia aeris fundendi inclaruisse primusque artem tareuticen aperuisse atque demonstrasse merito iudicatur etc. cf. O. Jahnium Ber. der sächs. Ges. der Wiss. 1850 p. 129 n. 50, Briegerum de fontibus Plini p. 43.

X. In anaglypho Eleusinio nuper reperto dea, quae est a tergo pueri, iunior habenda est cf. Pausaniam X, 25, 10: *Πολυξένη δὲ κατὰ τὰ εἰθισμένα παρθένοις ἀναπέπλεκται τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ τρίχας.*

XI. Leibnitius repugnantia ponit, cum spatium uacuum esse negat, asseuerat monadas esse unitates uere punctuales.